
DE VITA
ALBERTI
PII, SAPIENTIS,
PRVDENTIS
BELGARVM PRINCIPIS
COMMENTARIVS.

AVBERTVS MIRÆVS Bruxellenſis, S.T.L.
eidem PRINCIPI à ſacris Oratorij &
Bibliotheca, publicabat.

*Accedunt ſeorſim Laurentij Beyerlinck & aliorum
de eodem* PRINCIPE *Elogia.*



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
M. DC. XXII.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/devitaalbertipii00lemi

POTENTISSIMO
PHILIPPO IV.
REGI
CATHOLICO
HISPANIARVM
ET
INDIARVM
MONARCHÆ.

A MAIORIBVS tuis, quos immenſâ ſerie è Cæſaribus & Regibus nectis, REX MAXIME, plurima tibi adſunt exempla Imperij fortiter & feliciter admini-

ſtrati. Eminet inter omnes RVDOLPHVS I. Imperator, qui ſingulari ſuo pietatis ſtudio magnitudinem & claritudinem AVSTRIACAM auſpicatus eſt, gentémque ſceptris fatalem propagauit. Nec illo inferior MAXIMILIANVS I. exſtitit, virtutibus & animi magnitudine, itémque benignitate ac ſapientiâ Princeps verè inclytus, qui MARIAE BVRGVNDICAE, CAROLI AVDACIS filiæ, matrimonio iunctus, potentiam illam omnibus ſuſpiciendam in familiam veſtram tranſtulit.

Ex maternâ tuâ ſtirpe FERDINANDVS & ISABELLA præ ceteris fulgent, vtpote primi Hiſpanæ magnitudinis

ac

ac ſplendoris velut auctores. ORBEM ij NOVVM, & Indiæ Occiduæ theſauros tibi aperuerunt: quo nihil ab omni hominum memoriâ contigit in Hiſpaniâ neque ad dignitatem honeſtius, neque ad celebritatem illuſtrius, neque fructu vberius. Sed & CAROLVS V. Cæſar, proauus tuus, luce ſuâ ſplendet, Princeps bello maximus; cuius laudes ne libare quidem volo, ab aliis pleno ore ampliſque Commentariis celebratas. Quid PHILIPPVS II. auus tuus? cuius vt ceteræ virtutes ſileantur, at certè conſtantia non eſt omittenda, quâ contra omnem fortunæ caſum erectus, vnóque tenore æquabilis, magnum illud

Deóque proximum, NEC SPE NEC METV, ſibi vindicauit. Omitto felicitatem, quâ Regnum Luſitaniæ reliquo Hiſpaniæ corpori adiecit, quingenteſimo circiter anno quàm inde fuerat auulſum. Quod Regnum India Orientalis, Braſilia, Guinea, Africæ ditiones & arces variæ, Heſperides, Materia, Tertiaria, aliæque maris Atlantici inſulæ velut appendices ſunt ſecutæ. Parens tuus PHILIPPVS III. vt Hiſpaniæ vniuerſæ imperium à maioribus acceptum ſibi poſteriſque ſtabiliret ac firmaret, reſiduam Maurorum gentem, hoc eſt, decies centena ampliùs hoſtium domeſticorum millia, trans mare amandauit; LARA-

CHIAM

CHIAM & MAMORAM, munitiſſimas piratarum in Africâ ſtationes, ab aliis anteà Regibus fruſtrà tentatas, ditioni ſuæ adiecit.

Illuſtribus hiſce ſideribus velut nouiſsimum adiungere liceat auunculum tuum maiorem, ALBERTVM, Belgarum Principem verè optimum, nuper cælo inſertum. Neſcio enim an à natâ gente Auſtriacâ quis fuerit, qui magis propriè Pietatem, Sapientiam, Prudentiam, aliáſque Virtutes Regias ſibi vindicarit. Id breui hoc Commentario terrarum orbi teſtatum reddere ſum conatus, quem

REX POTENTISSIME

inclyto nomini tuo nunc conſecro.

Tu æmulare, vt facis, imò ſupera, & Reipublicæ Chriſtianæ vniuerſæ, quæ in te oculos coniicit, longæuus eſto. Bruxellis, poſtridie Kalendas Martias, CIↃ. IↃC. XXII.

DE

DE VITA ALBERTI PII, SAPIENTIS, PRVDENTIS, BELGARVM PRINCIPIS, COMMENTARIVS.

VT Corn. Taciti prudentiæ magiſtri verbis vtar, *Clarorum Virorum facta moreſq́; poſteris tradere antiquitus vſitatum, ne noſtris quidem temporibus quamquam incurioſa ſuorum ætas omiſit, quoties magna aliqua ac nobilis virtus exſtitit.* Quæ igitur ALBERTVS AVSTRIACVS, Belgarum Princeps, vero elogio PIVS, SAPIENS, ac PRVDENS geſſit, quæq́ue poſteris vir-

tutum exempla reliquit, ea quantum Commentarij ratio poſtulat, & ego pro tenuitate ingenij mei præſtare potero, memoriæ prodere, *ſine gratiâ aut ambitione, bonæ tantùm conſcientiæ pretio*, conſtitui. Opus quidem eſt, fateor, difficultatis plenum, multorúmque calumnijs atque inuidiæ obnoxium, res eorum geſtas, qui proximè vixerunt, litteris conſignare. Cùm enim multos adhuc eſſe ſuperſtites neceſſe ſit, qui eas quoque res minimè ignorent, non pauci ſermones & querelæ excitari ſolent, alijs aliquid dictum, aut minùs verè dictum, alijs omiſſum aliquid expoſtulantibus. Ita ſcriptoris induſtriæ ac labori, quem neque leuem, neque modici temporis eſſe ſapientes intelligunt, non exiguum incommodum plerumque adfertur. Sed ſcriptionis argumentum ſuſcipere, quo DEI in primis ſuíque PRINCIPIS gloriæ quis ſeruiat, & bonis omnibus gratificetur, tantum habere commodi ac ſtimuli par eſt, vt difficultates moleſtiáſque omnes longè ſuperet. Hæc apud

me

me ratio cùm ponderis haberet plurimum, acceſſit multorum, cùm noſtratium tum exterorum, rogatus & cohortatio, quin imò illuſtrium aliquot virorum iuſſus atque auctoritas. Itaque res illuſtriores ab ALBERTO geſtas, eiuſque virtutes eminentiores in certa capita conijciam: ac primùm de ſtirpe, parentibus, pueritiâ, inſtitutione, & iuuentute, exemplo Tranquilli, pauca dicam. Prætereà de Cardinalis dignitate, Proregis apud Luſitanos munere, Principis apud Belgas imperio, laude bellicâ, de pacis item, pietatis ac religionis ſtudijs; ad hæc de ſapientiâ, prudentiâ, fortitudine, conſtantiâ, iuſtitiâ, aliiſque virtutibus breuiter narrabo. Si quis porrò omiſſum aliquid à nobis queretur, eum meminiſſe par eſt, non omnia ab vno dici poſſe: nobis ſuffecerit, felicioribus ingeniis & calamis elegantioribus nobilem hiſtoriæ fuſiùs ſcribendæ materiem præbuiſſe.

De gentis AVSTRIÆ ſtemmate, ex quo ALBERTVS Princeps noſter prodiit, *Alberti genus & maiores.*

nihil opus eſt dicere: audiuiſſe, cognouiſſe eſt: adeò nota eius toto orbe maieſtas. Is igitur ortus eſt primâ in terris domo, quæ intra trecentos quinquaginta plus minùs annos, CÆSARES XII. orbi Chriſtiano dedit, atque id ſanguinis & natalium ſerie, ſine vllo fulcro adoptionis. Res certè admiranda, cui in omni retrò Imperatorum claſſe nihil ſimile inuenias. In vnâ familiâ vix olim duo aut tres fuerunt, atque in primâ Iulij non vltra ſextum adoptionis benignitas prorogauit.

Locus, dies & annus natalis 1559.

Natus eſt autē *Neapoli* in Auſtriâ M.D.LIX. Idibus Nouembris, Eugenio III. Antiſtiti Toletano ritu anniuerſario ſacris, non ſine omine ac præſagio obtinendæ aliquando ſupremæ illâ in vrbe dignitatis.

Pater.

MAXIMILIANVS II. pater, FERDINANDI I. filius fuit ex Annâ Iagelloniâ, quæ Ludouico fratre à Turcis cæſo, Regna XI. *Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slauoniæ, Boſniæ, Seruiæ, Halitiæ, Vlodomiriæ, Cumaniæ* & *Bulgariæ*, marito in dotem attulit.

Mater.

MARIA mater, CAROLI V. Cæſaris filia,

filia, ex Iſabellâ Luſitanâ, Portugalliæ & Indiæ Orientalis etiam poſt obitum herede, ſeptem ex ordine Imperatorum abneptis, proneptis, filia, nurus, vxor & mater exſtitit, raro & inaudito humanæ felicitatis exemplo. Liberos XVI. partu fecundiſſimo edidit, ex quibus RVDOLPHVM & MATTHIAM Germania Cæſares, ELISABETHAM CAROLO IX. deſponſam Gallia, ANNAM auunculo PHILIPPO II. Catholico nuptam Hiſpania, Reginas ſuſpexit. Eat nunc Plinius, & mirabundus exclamet: *Vna feminarum in omni æuo Lampido Lacedæmonia reperitur, quæ Regis filia, Regis vxor, Regis mater fuit.*

In matris ſinu indulgentiaque educatus ALBERTVS, per omnem honeſtatis cultum pueritiam tranſegit. Arcuit illa puerum ab illecebris ac vitijs aulicorum, atque ab ipſâ infantiâ ſenſim pietatis præcepta inſtillauit. BLANCAM Galliæ Reginam, natione Hiſpanam, tradunt ita filium LVDOVICVM IX. re & cognomento ſanctum, filiamque ISABELLAM *Educatio.*

pariter Diuis à LEONE X. adſcriptam, inſtituiſſe, vt in animum inducerent malle mori quàm letale crimen committere: vt mirum non ſit, tali inſtitutione prolem

Inſtitutio.

vtramque ſanctam exſtitiſſe. Id ipſum & alia eò facientia in primis annis ALBERTO & ceteris ſuis prolibus (ex quibus hodiéque ſupereſt MARGARITA, monaſticen Clariſſas inter virgines diſcalceatas Madriti Carpetanorum profeſſa) mater omnibus ſermonibus inculcabat. Sciebat nimirum matrona prudens iuxtà ac pia, ſi ſaluos eſſe liberos ſuos vellet, præcipuam & maximam primæ ætati curam eſſe impendendam. vt enim in ſemente ſpes meſſis vniuerſa eſt poſita : ſic totius reliquæ vitæ exſpectatio ab educatione pueritiæ dependet.

Formator morum.

Itaque ſummo ſtudio ab vtroque parente quæſitus vir probus ac doctus; atque vnus demum AVGERIVS GISLENVS BVSBEQVIVS eſt repertus, qui morum formator exiſteret, puerumq́ue ad omnia optimi Principis officia erudiret. Fuit is

nobili

nobili apud Belgas genere natus, eloquentiâ, doctrinâ, ac prudentiâ inclytus, eoque nomine FERDINANDO I. Cæſari carus, & ab eodem Legatus ad Solimannum Turcarum Imperatorem miſſus. Quæ porrò in Græciâ & Aſiâ ſeptennio ſpectauit, egit, dixit, audiuit, ipſe Epiſtolis quatuor prolixioribus, ſummâ elegantiâ atque eruditione ſcriptis, conſignauit. Et verò beneficij à formatore accepti memor ALBERTVS, cùm in Belgicam Princeps veniſſet, *Busbecam* ignobilem anteà Flandriæ pagum Baroniæ titulo decorauit, & Augerij conſanguineos honoribus auxit.

Philippum Macedonem laudat antiquitas, quòd Alexandro filio nato, ad Ariſtotelem, ſummum eâ ætate Philoſophum, ſcripſerit, non tantas ſe Dijs immortalibus gratias agere pro filio ex Olympiâ vxore genito, quàm quòd eo tempore ſuſtuliſſet, quo poſſet ab illo optimis artibus ac diſciplinis erudiri. Enimuerò tantus ex Ariſtotelis diſciplinâ

nâ vir Alexander euaſit, vt orbi terrarum Imperij iugum impoſuerit. Sic quòd orbem Chriſtianum ſui nominis famâ ALBERTVS impleuit, doctoris prudentiæ magnâ ex parte adſcribi debet.

Præceptores. Busbequio in partem curarum adiuncti ſunt, NICOLAVS CORETTVS, pòſt Tergeſtinus in Iſtriâ Epiſcopus, & MATTHÆVS OTHENIVS Louanienſis, clarâ apud Holſatos ac Danos familiâ oriundus: quorum poſterior prima Grammaticæ rudimenta explicuit, & vſu quotidiano Latinam linguam puero familiarem reddidit.

1570. Anno ſuperioris ſæculi ſeptuageſimo, ANNÆ ſorori ſuæ, auunculo PHILIPPO II. *In Hiſpaniam profectio.* Regi Catholico deſtinatæ, ALBERTVS vndecennis, vnà cum fratre iuniore VENCESLAO, comes à patre additus, ex Germaniâ ſuperiore in hanc noſtram inferiorem venit, & ſecundo Rheno Nouiomagum appulit. Ferdinando Toletano, Duce Albano, qui tunc Belgis cum imperio præerat, cum vniuerſâ Nobilitate Belgicâ dedu-

deducente, inde per Brabantiam in Zelandiam tranſmiſit, & menſe Septembri conſcenſâ ad Vliſſingam in Valacris claſſe, feliciter in Hiſpaniam traiecit, *Busbequio*, *Coretto* & *Othenio* vtique comitantibus, ne quis dies abiret ſine lineâ.

Repperit hîc fratres ſuos natu maximos RVDOLPHVM & ERNESTVM, quos iam inde ab aui FERDINANDI exceſſu non minùs liberaliter quàm religiosè Rex idem ſuâ in aulâ educarat. Hos anno proximè ſequenti IOANNES AVSTRIACVS, ad bellum Turcicum proficiſcens in Italiam deduxit; atque inde in Germaniam, ætate atque vſu iam habiles ad capeſſenda Imperij onera, ad patrem tranſmiſit.

Confecto ſtudiorum etiam ſacrorum curriculo, cùm eâ pietate, quę vel Sacerdotem, eâ caſtitate quæ Veſtalem deceret, eſſet ALBERTVS, GREGORIVS XIII. Pont. Max. magnus virtutis æſtimator, adoleſcentem vndeuiginti annos natum S. R. E. Cardinalem, titulo ſanctæ Crucis Ieroſolymitanæ, abſentem renuntiauit.

Albertus fit Cardinalis.

Cuius quidem tituli in Vrbe baſilicam, ab Helena Conſtantini Magni matre exſtru-ctam, ſed vetuſtate nonnihil collapſam, noſter inſtaurauit, Muſiuis ſignis decora-uit, & tabulis elegantiſſimè pictis exorna-uit. Teſtis ipſa Inſcriptio, quæ in ſacello S. Helenæ dicato ibidem hodiéq; legitur.

SEBASTIANO Luſitaniæ Rege in A-fricâ cæſo, eiuſque ſucceſſore *Henrico* Car-dinale defuncto, cùm Regnũ illud nobi-liſſimum iure ſanguinis ſibi debitum PHI-LIPPVS II. Rex Catholicus armis ſube-giſſet, & reliquæ Hiſpaniæ, à quâ annis paulò minùs quingentis auulſum fuerat, adieciſſet, multaque in concuſſo illo cor-pore adhuc ægra reſtarent; vnus occurrit ALBERTVS, qui lapſa erigeret, dilapſa colligeret, atque exanimata recrearet. Pri-mus itaque Prorex Luſitaniæ ab auuncu-lo conſtitutus, ita præfuit, vt pænè optan-dum fuerit illi Regno tam validè concuti, vt talem pacatorem æternique deinceps otij fundatorem haberet.

Prorex Luſitaniæ.

1584. Anno M. D. LXXXIV. MANCIVS & MI-

CHAEL,

CHAEL, nobiliſſimi Iaponiæ Legati, vaſto Oceano emenſo, Oliſiponem cùm appuliſſent, regio illos apparatu ac ſumptu Prorex excepit, & poſt ſalutatos GREGORIVM XIII. & SIXTVM V. Romanos ex ordine Pontifices, cùm ex Italiâ in Luſitaniam rediſſent, ampliſſimis muneribus donatos in patriam dimiſit. *Iaponiæ Legatos excipit.*

Inter Regni Luſitaniæ competitores, HENRICO Rege è viuis ſublato, fuerat & ANTONIVS nothus, ſed qui legitimum credi ſe volebat. Concurrerat & CATHARINA MEDICÆA, vetuſto atque obſoleto titulo à Comitibus Bononienſibus repetito. Antonius itaque Gallicis ac Britannicis fauoribus & copijs ſubnixus, Regno Luſitaniæ, ex quo per Ferdinandum Albæ Ducem pulſus fuerat, inſidiabatur, atque in populi, à Caſtellanis vetere odio auerſi, ſtudijs ſpem magnam collocarat.

Anno igitur M.D.LXXXIX. cum validâ centum quadraginta nauium claſſe, quam *Eliſabetha* Angliæ Regina inſtruxerat, in 1589.

Portugalliam appulit, & *Ioanne Noricio* ac *Franciſco Draco* Ducibus, copioſum militem in continentem expoſuit, agros ferro, flammis, populationibus longè lateq́ue vaſtauit, Oliſiponem denique Regni metropolim terrâ marıq́ue obſedit. ALBERTVS noſter contrà quid agit? Militem expedit, ciues & exteros, qui magno ibi numero mercimoniorum cauſsâ verſantur, armis inſtruit, hoſtem fortiter repellit, magnoq́ue metu vniuerſam Hiſpaniam liberat. Ceterùm detectâ Oliſipone quorumdam ciuium cõiuratione, ſupplicium penes paucos ſtetit: reliqui nouarum rerum ſpem & cupiditatem poſuerunt. Nobilitas certè in fide conſtantem ſe oſtendit, quam humanitate, prudentiâ, iuſtitiâ, aliiſque virtutibus ALBERTVS ſibi obſtrinxerat. ANTONIVS porrò claſſe lacerâ atque exhauſtâ in Britanniam redijt, indéque in Galliam tranſiens, miſer & inops quinquennio pòſt Lutetiæ Pariſiorum viuere deſiit.

Oliſiponem tuetur.

Ex eâ Præfecturâ, quam ſummâ cum laude,

laude, repulſis non ſemel hoſtibus, per decennium Cardinalis geſſerat, ab auunculo Mardritum reuocatus, prouincialibus ingens ſui deſiderium reliquit. Quis enim in diſceſſu eius non ingemuit? Nobilitas patronum, plebs parentem, leges cuſtodem, pietas vindicem ſibi viſa eſt amiſiſſe. Sed Rex Catholicus recepiſſe: & expertus quàm benè humeris illius imperium ſederet, in partem ampliorem curarum aduocauit, & ſeniles ſuos paullatim humeros ſubducens, tot Regnorum pondera in filium ALBERTO ſubnixum inclinauit.

Madritum reuocatur.

Anno M. D. XCIV. Madriti x. Kal. Decembris GASPAR QVIROGA, Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus, vitâ deceſſerat: huic mox à CLEMENTE VIII. Pontifice, & PHILIPPO Rege ſuccenturiatus eſt ALBERTVS, miſſuſque in poſſeſſionem. Numquam tamen ad eam Eccleſiam iuit, neque ſacratus eſt, ob triſtem nuntium, anni ſequentis initio, de inopinato ERNESTI fratris obitu, ex Belgicâ in Hiſpaniam allatum. Itaque Rex 1594.

Fit Archiepiſcopus Toletanus.

auunculus ipſum in fratris locum ſuffe-
Gubernator Belgij. cit, & Belgicæ noſtræ ſummo cum imperio præfecit: diſceſsítque is Madrito ſub
1596. menſis Auguſti finem. Vicarium autem in Archiepiſcopatu GARSIAM LOAISAM (qui PHILIPPI III. pueritiæ morúmque formator fuerat, quique vetuſta Hiſpaniæ Concilia eruditis cum Notis publicarat) pro ſe reliquit, ſuum deinde futurum ſucceſſorem.
Principem Arauſionenſem in patriam reducit. Ceterùm vt Belgas ſibi obſtringeret, PHILIPPO GVILIELMO, Principi Arauſionenſi, qui in Hiſpaniâ annis ferè viginti quinque honeſtâ in cuſtodiâ habitus fuerat, libertatem ac reditum in patriam à Rege impetrarat. Quo, alios inter Proceres, itineris comite, Nonis Octobris Genuam appulit: inde per Auguſtam Taurinorum, Heluetios & Lotharingiam, IV. Kalendas Februarias Luceburgum tenuit. Pòſt ſalutatâ Virgine Hallenſi, Deóque gratiis pro felici itinere actis,
Bruxellas intrat. Bruxellas vrbem Regiam III. Idus Februarias intrauit, magno Procerum ac plebis
1597. applauſu exceptus. Menſe proximo, cùm
feſſus

feſſus à viâ vix quieuiſſet, *Caletum* maritimam Galliæ vrbem, naturâ, opere ac milite munitam, modicis copijs aggreſſus, paucos intra dies clauſit atque expugnauit. Vrbem dico, quam *Eduardus* ille felix & animoſus Anglorum Rex vndecim menſium ſpatio vix ſubegit, quam *Philippus Bonus*, Burgundiæ Brabantiǽque Dux potentiſſimus, cum quadraginta millium exercitu capere non valuit. Inde progreſſus *Arderam*, opidum ſitu ac militari præſidio munitiſsimum, Henrico IV. Galliæ Rege nequidquam frendēte atque indignante, Aprili menſe ad deditionem compulit. *Caletum capit.* *Arderam.*

Quid amplius? E Galliâ in Flandriam veniens, *Hulſtum*, non opidum, ſed inſulam, nec inſulam modò, ſed propugnaculis varijs ac magnis, id eſt, verâ æſtimatione totidem opidis inſeſſam, pulſis Batauis ac Mattiacis, inuaſit, peruaſit, occupauit. Hæc ALBERTI opera fuerunt ſub initium Præfecturæ, cùm alij vix operum ſolent ponere fundamenta. *Hulſtum.*

Anno ſequenti *Ambianum* Picardiæ metro- *1598. Ambianum.*

metropolim inſigni ſtratagemate occupauit: quam vrbem poſt grauem quinque menſium obſidionem HENRICVS IV. Galliæ Rex vix demum recepit. Ea obſidio, CLEMENTE VIII. annitente, occaſionem dedit pacis cum Gallo tractandæ. Et verò pace quid pulchrius? bello quid tetrius? Pacem appetunt omnes, eáque gaudent vt bonorum omnium fonte: bellum vt ſummum malum omnes auerſantur. Pacem ideò Græci pinxerunt manibus geſtantem puerum Plutum, diuitiarum præſidem, cum ſpicis, lauro, & roſâ redimito capite; ſignificantes, cum pace diuitias parari, & vitæ humanæ ſtudia efflореſcere. Bellum ipſum etſi paci aduerſatur, ad pacem tamen referri debet; eſtque boni ac ſapientis Principis, cuncta ad pacem conſilia dirigere. Quid enim flagitioſius, quàm dominandi cupiditate aut gloriæ ambitione humani generis tranquillitatem turbare, orbíque vaſtitatem adferre?

Externis ac ciuilibus turbis æſtuabat Belgica,

Belgica, & cum triplici hoſte potente, Gallis, Britannis, ac Batauis, bella à multis retrò annis gerebat: Mars ſuam hîc palæſtram collocaſſe videbatur. Opportunitas ſcilicet locorum faciebat, & ſimul conſpiratio eorum qui magnitudini Auſtriacæ erant infenſi, vt omnium arma in miſeros Belgas verterentur, & in noſtrâ patriâ velut de Europæ Imperio certaretur. Ad mitia itaque conſilia conuerſus ALBERTVS, cum HENRICO IV. Galliæ Rege (qui eiuratâ hæreſi cum Eccleſiâ & Pontifice Romano in gratiam iam redierat) de pace agitare cœpit. Eò propendebat & PHILIPPVS Rex Catholicus; ne morti proximus filio bellum pro hereditate relinqueret. Veruini igitur in Veromanduis, poſtridie Kalendas Maias anni M. D. XCVIII. pax Gallica ſancitur, & priſtina cum Gallis amicitia velut poſtliminiò reſtituitur. *1598 Pax Gallica.*

Duas PHILIPPVS Rex ex ISABELLA coniuge filias ſuſtulerat, ISABELLAM & CATHARINAM. Minorem CAROLO

D EMA-

EMANVELI Sabaudiæ Duci tradiderat: ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, quam ALBERTO vxorem deſtinabat, pridie
1598 Nonas Maij anni, eiuſdem, Belgicas Prouincias XVII. cum Burgundiæ Comitatu dedit. ALBERTVS itaque ex voluntate Regis auunculi, veſtem mutauit, & purpurâ ad aram Deiparæ Hallis poſitâ, gladio ſe accinxit. Mutauit, inquam, alieno impulſu, & publici boni cauſsâ: vt ex Epiſtolâ quam ad CLEMENTEM VIII. ſcripſit, datur intelligi.

Albertus veſtem mutat.

BEATISSIME PATER,

Eius Epiſtola ad Clementem VIII

ADFERO *ad B. V. preces, quæ in petendo moleſtiam aliquam mihi exhibeant, & impetratæ aculeum in animo iſto relinquant. Nam cùm ab annis ampliùs viginti in ſacro vitæ genere egerim, Cardinalitiâ etiam dignitate à Sanctiſsimâ iſtâ Sede ornatus: atque is ſtatus & iucundus mihi in animo, & foris etiam peramplus honeſtuſq; fuerit: tamen res ita nata eſt, vt ab inſtituto retrahi videar, & aliò quàm deſtinaueram, compelli. Nec ſanè leues aut priuatæ vllæ cauſſæ ſunt,*

quæ

quæ me commouent, ſed graues & cum familiæ noſtræ Auſtriæ dignitate, imò & cum bono ac tranquillitate Chriſtianæ etiam Reipublicæ coniunctæ. Quas breuiter tangere potiùs apud Beatitudinem Veſtram, omni prudentiâ ſapientiáque ſic ornatam, quàm fusè explicare debere videor. Eſt autem inter præcipuas, quòd Rex titulo & re Catholicus, frater, cognatus, & dominus meus, arctâ affinitate iungere me ſibi ſtatuit, filiâ etiam primogenitâ, SERENISSIMA INFANTE, *in matrimonium mihi collocatâ. Nec ignarus ſum, quantus is honos, & quantum priuatim mihi familiæq́; bonum ſit: tamen ſeriò teſtor, non tam eò me induci ac quati, quàm conſideratione publici boni, quod ex eâ coniunctione manare poſſe, pro ſapientiâ ſuâ B. V. videt. Non enim ſolùm in præſens ad res ſtabiliendas aut diſsidia pacanda facere id videtur, ſed etiam in poſterum vtilè Reipublicæ Chriſtianæ fore, præſertim ſi Dei munere & veſtræ etiam Beatitudinis benedictione, liberi ac poſteritas ex hoc coniugio propagabuntur. Quin verò apud benignas aures B. V. hoc liceat dicere, ita affectam ſemper, obſequentem, deuotam huic Sanctiſsimæ Sedi Auſtriam ſtirpem fuiſſe, vt non*

ſolùm ab eâ pependerit, ſed etiam ſe ſuáque impenderit pro dignitate eius vel tuendâ vel augendâ. Quod ipſum ſcilicet de me meíſque, ſi Deus dabit, eò firmiùs percipere animo, & exiſtimare B.V. debebit, quò arctiori vinculo ei obligor; & qui non Religionis ſolùm aut pietatis, ſed meritorum etiam aſpectu, ſcio me Sanctiſsimæ huic Sedi omnia debere. An excideret animo meo vmquam vel Cardinalitia hæc purpura indulta, vel aliarũ dignitatum infulæ cõceſſæ? & quidem ſic promptè, vt pænè præuenerit Benignitas veſtra deſideria ac vota mea.

Obligor æternùm, Beatiſsime Pater, & in quocumque genere vitæ Veſter maneo. Quod vt B.V. credere dignetur, ſupplex rogo, ſimúlque purpuram & Cardinalatus inſignia recipere, quæ (iterùm dico) haud libens reſigno ac depono. Sed cùm Imperator frater meus, aliíque maximi Reges aut Principes, conſanguinei vel cognati mei, auctoritate ſuâ eò impellant, tum etiam ſperata publica vtilitas, cogor credere vel conſiliis eorum, qui annis, prudentiâ, dignitate me antecedunt, vel etiam rationibus, quas firmas & multas adducunt. Beatitudo igitur Veſtra dignetur petitioni meæ indulgere, & ſimul audire FERDINAN-

DVM

DVM *Archiepiſcopum Veſontinum, quem iſtâ de cauſsâ, cum amplo mandato, miſi. Equidem cùm impetrauero, non vnà cum inſignibus interiorem hunc affectum mutabo aut deponam, obſequendi huic Sanctiſsimæ Sedi & inſeruiendi; augebo potiùs, memor & ſic benignè datæ dignitatis, & receptæ. In quâ pollicitatione B.V. pedes humillimè deoſculor, Deum orans, vt eam ſuæ Eccleſiæ diutiſsimè ſeruet incolumem.*

Eiuſdem argumenti litteras dedit & ad Ill^mos S.R.E. Cardinales, coramque tradendas curauit per FERDINANDVM RYOEVM, Veſontinum in Burgundiâ Antiſtitem, qui & galerum purpureum ad Pontificem retulit.

PHILIPPI III. vnici è multis filiis ſuperſtitis nuptias cum MARGARITA, CAROLI Auſtriaci filiâ, FERDINANDI nunc Cæſaris ſorore, Rex pater pactas reliquerat. Ita proſequente matre, & ALBERTO noſtro, ſponſa in Inſubriam venit, & Mediolani aliquādiu ſubſtitit. Inde Ferrariam ſe contulerunt, vbi tunc agebat CLEMENS VIII. Pontifex, illo Prin- *Albertus in Italiam proficiſcitur.*

cipatu ad Eccleſiam Romanam, cuius beneficium erat, per ALPHONSI vltimi Ducis ſine prole obitum, recèns deuoluto. In eâ vrbe celeberrimo apparatu ac cærimoniis extraordinariis vtrumque coniugium MARGARITÆ & ALBERTI, ab ipſo Pontifice, XVII. Kal. Decembreis eſt celebratum, tametſi duo coniuges Rex eiuſque ſoror aberant. Pontifex cùm in maiore vrbis baſilicâ, habitu auguſtiore & tergemino diademate, quod vulgò *Regnum* vocant, fulgens, celebrando Miſſæ Sacrificio, in ſolio conſediſſet, Regina veſte candida, gemmis & adamantibus inſignis, duos inter Cardinales, ODOARDVM FARNESIVM, & ANTONIVM FACHINETTVM, Matre cum ALBERTO comitante, ad eamdem baſilicam, frequenti Procerum comitatu, deducta eſt. Poſtquam ſub aureo cum Matre conopeo conſedit, & ſub altero Archidux è regione, Sacrum ſolemne Pontifex eſt auſpicatus. Apoſtolico fidei Symbolo decantato, MARGARITA à Cardinalibus

Matrimonio iūgitur per Clementem VIII

libus ad aram cum Matre eſt deducta, ALBERTVS item cum ſuo comitatu. Tum mandati inſtrumento, quod à PHILIPPO III. datum Archiduci fuerat, publicè perlecto, CLEMENS matrimonium inter Regem, per ALBERTVM auunculum regias vices implentem, & Reginam, celebrauit, ratumque eſſe iuſſit. Simili deinde ritu ISABELLA, per Legatum ſuum Sueſſæ Ducem, Archiduci à Pontifice ſpondetur ac traditur. Peractâ re diuinâ, CLEMENS MARGARITÆ Roſam auream, ipsâ nocte Dominici Natalis ſacrari ſolitam, ALBERTO autem enſem inauratum ac galerum Principalem dono dedit.

Anno M. D. XCIX. Inſubriâ & Liguriâ peragratis, ALBERTVS cum Reginâ triremes Genuæ conſcendit, Maſſiliamq; appulſus, à CAROLO Duce Guiſio, iuſſu HENRICI Gallorum Regis, honorificè excipitur. Exſcenſione factâ, & ſalutatis ibi more ſuo Diuorum reliquiis, ad claſſem deductus, VIII. Kal. Aprileis Dertu- 1599

ſæ

In Hiſpaniam appellit. ſæ littora tenuit. Paulò pòſt Valentiæ XIV. Kal. Maij vtræque nuptiæ, regio apparatu, ingenti Procerum vniuerſæ Hiſpaniæ concurſu, confectæ ſunt. Peractâ lætitiâ, ALBERTVS, ad Matrem & MARGARITAM ſororem Monialem viſendas, citatis equis Madritum excurrit: inde reducem, cum coniuge, Barcinonem Rex eſt proſecutus. In Belgicam itaque cogitantes, VII. Idus Iunij ex eâ vrbe ſoluerunt, & nauigio Genuam delati, inde per Mediolanum, Heluetios, Alſatiam, & Lotharingiam, tandem Namurcum venerunt. *In Belgicam venit cum coniuge.* Ad Brabantiæ fines, Ordinum Legati obuij fuerunt, qui Principibus aduentum gratulati, Hallas eos ingenti comitatu deduxerunt: vbi diem vnum atque alterum, pro ſingulari ſuo erga Deiparam affectu, eidem Deóque in primis gratias acturi, ſubſtiterunt. ANDREAS Cardinalis, FERDINANDI Archiducis filius, præfecturâ, quam per ALBERTI abſentiam geſſerat abdicatâ, in Germaniam rediit; indéque Romam profectus, ibidem

dem anno Sæculari deceſſit. Archiduces Hallis digreſſi, Nonis Septembris, magno ſpectaculorum apparatu Bruxellis ſunt excepti, vt & poſteà Louanij, Antuerpiæ, Gandaui, Valentianis, & alibi. De quibus *Ioannis Bochij*, *Maximiliani Vrintij*, aliorumque exſtant Commentarij, typis Plantinianis cum iconibus editi.

Bruxellis & alibi excipitur.

Quid porrò Louanij, quæ vetuſta totóque orbe celebris Belgarum eſt Academia, à IOANNE IV. Duce inſtituta, actum ſit, præterire non debeo. Cùm eâ in vrbe, ſi antiquitatem ſpectes, Brabantiæ primâ, more maiorum, VIII. Kal. Decembreis inaugurati eſſent Principes, poſtridie auſpicalis diei, Athenæum ſiue Scholas publicas, cum vniuerſo Aulicorum ſexus vtriuſque cœtu, viſerunt; meros in eo Heroës imitati, vt *Cn. Pompeium*, qui victor à Mithridate victo, cum victore exercitu, Rhodum profectus, non ſolùm laureatos faſces ac ſecures, Poſidonij ſapientiæ famâ tum florentis poſtibus ſubmiſit, ſed omnium Docto-

rum exedras luſtrauit, ſingulos docentes audiuit, ſingulis pro Romanâ munificentiâ talentum impertiuit. Sic & Principes noſtri, cùm ad Gymnaſium publicúmq; Auditorium veniſſent, LIPSIVM dicere aliquid voluerunt. Fecit, & à ſolitæ Lectionis more non recedens, *Annæi Senecæ* Librum *De Clementiâ* in manus ſumpſit, & pauca eius verba, à conſeſſu & tempore iſto non aliena, explicauit. Quam quidem Diſſertatiunculam, qualis fuit, totidem verbis ſine colore aut fuco poſteà vulgauit. Et verò intererat publicè, factum iſtud, quale apud omnem retrò antiquitatem non legas, prodi, poſteríſque tradi. Quid enim illuſtrius, quàm feminam Principem vltrò ad iſtas exercitationes Academicas veniſſe, ſediſſe, audiſſe?

Lipſium docentem Louanij audit.

Felicem porrò ac proſperum Belgis futurum hunc nouum Principatum, præſagio fuit victoria, per XXII. equites noſtros ex totidem hoſtibus, anno proximè ſequenti, Nonis Februarij, apud Siluam-Ducis, Brabantiæ vrbem, obtenta. Vt

Brabantorum XXII. cum totidem Francis certamẽ. 1600.

Tullo

Tullo Hoſtilio regnante, tres Horatij Romani cum tribus Curiatiis Albanis compoſiti; ſic milites Brabanti duo & viginti, à totidem Francis, ſub Ordinibus Fœderatis & *Mauritio Naſſauio* militantibus, ad certamen prouocati, cum iiſdem pugnâ equeſtri concurrerunt. Ex hoſtibus periere ſeptemdecim, atque inter eos dux *Breautæus*, nobili apud Gallos genere natus. Ex noſtratibus quattuor in vniuerſum cecidêre, in his ductor *Gerardus Abrahamus*, patriâ Siluæ-Ducenſis, vir ſtrenuus, cum *Antonio* fratre, omnes Siluæ-Ducis in Dominicanorum odeio honorificè conditi.

Batavi ignominiæ ad Siluam-Ducis acceptæ memores, ſiue quòd inde miles noſter frequentes in Batauiam & Geldriam excurſiones faceret, vrbem hoc ipſo anno menſe Octobri obſederũt. Sed Deus, glacie ante tempus aquas conſtringente, pro noſtris pugnauit, & hoſtes obſidionem deſerere coëgit. Biennio pòſt, dum ad Oſtendã pertinaciter hæremus, ſecun- *Siluæ-Ducis obſidio.*

dò vrbem, nullo præſidio munitam, ingenti militum nauiumq́ue numero cingunt. Ipſe itaque ALBERTVS, vt fideliſſimæ ciuitati ſuccurreret, eò cum exercitu feſtinauit, & milite immiſſo, ſibi ac ſucceſſoribus eam aſſeruit. Hoſpitio excipiebatur in palatio Epiſcopali, & quotidie ſub horam vndecimam, ad vicinæ Baſilicæ Cathedralis odeium, Aulicis ſuis ſtipatus, ibat, vt ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, more ſuo, intereſſet. Reſciuit id hoſtis, æneorum tormentorum copiâ validus, & ſub illam ipſam horam plurimos globos maiores, ferreámque grandinem in odeium quotidie iaculabatur. Omnia igitur ictibus peruia erant, & ad latus Principis ac tergum lapides tormentis deiecti concidebāt, cùm ille nec locum, nec ſtatum, nec vultum mutauit. Quin etiam monentibus Aulicis, vt ſibi, atque omnibus in ſe parceret, ſubridens dixit; *Conſiderent, neminem Ducem tormenti maioris ictu periiſſe.* Simile quid CAROLVM V. Imperatorem, cùm in Germaniâ copias &ca-

Alberti fortitudo & conſtantia.

& caſtra ad Ingolſtadium haberet, atque ipſum etiam tentorium Cæſareum hoſtes maioris machinæ globo perforaſſent, protuliſſe accepimus.

Exinde, vt eſt incertus belli euentus, atque inconſtans rerum humanarum fluxus, opida nonnulla capta, amiſſa; feliciter, infeliciter eſt dimicatum; vt in illo ad Neoportum prælio, in quo aduerſæ fortunæ victor ALBERTVS, leui vulnere in facie perſtrictus, Ducis ac militis fortiſsimi ſpecimen dedit. Adeò vt non haberent quod de Cadmæâ ſibi victoriâ Bataui gloriarentur. Neoportus namque capiendi ſpe deiecti, multis ſuorum millibus amiſsis, ne fundi quidem ſeſquipede in Flandriâ obtento, poſt dies aliquot, conſcenſis nauibus in Neptunianas ſuas latebras tranſmiſerunt. *Prælium ad Neoportum.*

Illud in confeſſo eſt, numquam bello iſto ciuili durante, maioribus animis, contentione, ingenio, quàm hiſce annis pugnatum aut repugnatum, numquam plus ſanguinis effuſum fuiſſe. Vna, ſed toto

Oſtendana obſidio. orbe famoſá obſidio OSTENDANA, ad Oceani Flandrici littus, vel me tacente, id loquitur. In quâ quidem obſidione, quæ annos tres ac menſes totidem tenuit, centum viginti ampliùs mortalium millia vtrimque ceciderunt. Canant Poëtæ, & fabulis attollant *Troiæ* obſidium decennale, *Tyri* expugnationem inter clariſſima Alexandri Magni facinora extollat Græcia, Lacones in obſidendâ pertinaciter *Meſſanâ* annos viginti poſuerint: vna OSTENDA, *commune ſepulchrum Aquilonis & Auſtri, ducum ſimul & militum acerba cinis*, illuſtribus veterum factis tenebras offundit & luminibus obſtruit. Neque enim ibi *de paruâ areâ*, neque *de tumulis aut ſterili tantùm de puluere*, vt Ioſephus Scaliger ſuo in Epigrammate volebat; ſed de ſupremo inter Hiſpanum & æmulos Reges dominatu ac gloriâ, imò de Europæ quodammodò Imperio certatum eſt.

Alberti adſectus in Deiparam. A primâ adoleſcentiâ DIVÆ VIRGINIS amorem & cultum Archidux induit, eámque ſibi patronam adoptauit, & ducem

cem in bellis, periculis, moleſtiis, omni denique vitæ curſu, elegit. Exemplo priſcorum Regum ac Principum, eius effigiem, vt & Chriſti Crucifixi, in Labaro prætulit, his verbis additis; SVB TVVM PRÆSIDIVM CONFVGIMVS, SANCTA DEI GENITRIX. Gratum hunc ſibi adfectum ac cultum fuiſſe, Deus & Virgo plurimis in Colle-aſpero, loco anteà ſiluis ac dumetis horrido, miraculis patratis, comprobarunt; quæ poſteà mandato Antiſtitum explorata, *Iuſtus Lipſius*, & *Erycius Puteanus*, magno Religionis noſtræ bono litteris prodenda exiſtimarunt. Neque enim poſſumus aliâ re efficaciùs frangere & calcare hæreſim, quàm hoc miraculorum fulmine; vbi non verbis ſed factis diſputamus, & impudentiſſimorum etiam oculos atq; animos iſtâ rerum maieſtate perſtringimus.

Ceterùm in Colle-aſpero (innumerabili hominum multitudine ex Prouinciis etiam diſſitis confluente) Sacellum primò exiguum eſt excitatum, quod *Matthias Houius*, Machlinienſis Archiepiſcopus,

pus anno M. DC. IV. dicauit ac conſecrauit. Huic poſteà ALBERTVS Baſilicam rotundam ex candido lapide ſubſtituit, cuius ſtructura trecentis plùs minùs aureorum millibus conſtitit, & inter Belgicæ miracula meritò numeratur.

Baſilicam in Colleaſpero ædificat.

ELISABETHA Angliæ Regina Londini M. DC. II. obierat, cùm annos ſeptuaginta vixiſſet, & circiter quadraginta quattuor regnaſſet, Vatiniano in Hiſpanos odio, & atroci Catholicorum inſectatione infamis. Succeſſit IACOBVS VI. Scotiæ Rex, iure ſanguinis, quippe Margaritæ pronepos, quæ HENRICI VIII. Anglorum Regis ſoror maior fuit. Is vocabulo veteri in vſum reuocato, Regem maioris Britanniæ ſe dixit, nempe totam eam latam lautamque inſulam vnà cum Hiberniâ, ditione complexus; & Regni ſui initio edixit, velle ſe cum omnibus Chriſtiani orbis Principibus pacem atque amicitiam colere.

Iacobus Rex magnæ Britanniæ.

ALBERTO itaque procurante, miſſiſque Legatis, qui de pace cum eâ gente age-

agerent, anno M. DC. IV. tandem Londini IV. Kalendas Septembris fœdus cum Britannis ſancitur, armis vtrimque poſitis. Sciebat nimirum, quanti intereſſet, finitimos Reges habere pacatos.

Pax Anglica.

In lætitiæ ſignum, ob pacem Anglicanam, dum ludicra Bruxellis certamina, Britannico præſente Legato, exercentur, Batavi aggerem VVaſianum perrumpere, & Antuerpiam obſidere tentant. Sed mandante ALBERTO, *Ambroſius Spinula*, Seſti Marchio, mox adfuit, & Scaldim fluuium ponte ſublicio ſtrauit, copiis noſtris commodè vltrò citróque traiiciendis. Quo prudenti conſilio Brabantiam Flandriámque metu liberauit, multíſque cæſis, hoſtes vela ac tergum vertere coëgit. Exinde eodem *Spinulâ* trans Rhenum miſſo, vt totam belli molem eò traduceret, *Oldeſaliam*, *Lingam*, *VVachtenduncam*, *Cracauiam*, *Lochemium*, *Grollam*, *Rhenibercam*, aliáque opida Batauis eripuit.

Antuerpiam tentant Batani.

Spinula Lingam & alia opida occupat.

Multi noſtro ſæculo illuſtres ac magnanimi heroës, in his *Ignatius Loyola*, *Carolus*

rolus Borromæus, *Philippus Nerius*, & alij exſtitere, qui per ſe ſuóſque rem Chriſtianam mirificè auxerunt ac propagarunt. Ex altero ſexu vna ferè occurrit TERESIA, illa verè magna, verè admiranda, verè *fortis mulier*, ſeu potiùs virgo, imò virago: vt æui ſui Phœnicem non iniuriâ quis nuncupet. Hæc Abulæ in Hiſpaniâ, ſingulari quadam Dei prouidentiâ, illis temporibus nata eſt, quibus Lutherus, excucullatus apoſtata, virus in Eccleſiam cœpit effundere. Ætate iam grādior monaſticem amplexa, ac demum auſterioris vitæ cupida, ſupra muliebrem naturam, ſupra vires ac conditionem ſui ſexus ſe extulit. Plurimis namque Monaſteriis per Hiſpaniam excitatis, primæuam ſui Ordinis diſciplinam adeò fauſtè inſtaurauit, vt non modò virgines innumerabiles, ſed viros quoque doctrinâ & ſanctitate eximios ad imitationem pellexerit, atque ad Cœnobia arctioris inſtituti condēda permouerit. Fuit autem progreſſus, Deo adiutante, tantus, vt Cōgregatio à SIXTO V.

B. Tereſiæ laus.

in

in prouincias quinque per Hiſpaniam diſtributa, & pòſt à CLEMENTE VIII. proprium nacta fuerit Præfectum Generalem. Quæ quidem cùm Hiſpaniam impleuiſſet, & ad Occidentales Indos palmites porrexiſſet, in Italiam demum pedem intulit, atque in ipsâ vrbe Românâ Collegium ſeu Seminarium inſtituit, ex quo ſodales feruentiores, doctrinâ, linguarum peritiâ, & aliis eiuſmodi dotibus inſignes, pro Chriſto legatione functuri, ad exteras quaſque nationes emitterentur. Itaque ſacræ ſigna militiæ inde in Sarmatiam ad Septemtrionem, in Indiam Perſiamque ad Orientem, & pòſt in Galliam Celticam ac Belgicam ſunt prolata. In noſtram dico Belgicam, Sereniſſimi Principis ALBERTI auſpiciis; cui non ſat fuit, *Annam à Ieſu*, B. Tereſiæ olim in terris ſociam, euocaſſe, ſed virorum inſuper religioſorum coloniam, *R. P. Thomâ à Ieſu* duce & anteſignano, ex Vrbe in Prouincias haſce noſtras deducendam piè prudentérq; cenſuit. Gna-

rus nimirum ac præſcius, quantum ſacer hic cœtus, Deo propitio, ad auitam religionem ac pietatem ſtabiliendam, hæreſéſque confutandas, progreſſu temporis, eſſet allaturus. Viderat enim iam olim in Hiſpaniâ ac ſenſerat, quàm feruens quámque potens Carmelitanæ huius ſocietatis ſit ſpiritus: vtq́ue ſuum in eam adfectum ſingularem publico ad poſteros monumento teſtatum redderet, Regio planè ſumptu ac magnificentiâ, virginum huius inſtituti Cœnobium ac templum, haud procul à Palatio, iactis an. M. DC. VII. fundamentis, excitauit. Ex quo plurimæ poſteà ſacræ Monialium coloniæ in Germaniam noſtram inferiorem ac ſuperiorem, atque in ipſam quoque Poloniam, SIGISMVNDO Rege eiúſque coniuge euocantibus, ſunt deductæ ac propagatæ.

Carmelitanis Monialibus Cœnobiũ ædificat Albertus Bruxellis, Anno 1607.

Reſtàbat tertia veluti palma, & poſt Gallos ac Britannos pacatos, ſolo bello Batauico miſera noſtra Belgica æſtuabat. ALBERTVS itaque, vt laudatiſſimum illud emblema, PVLCHRVM CLARESCE-

RE

RE VTROQVE, iudicio ſe ſumpſiſſe, nec minùs pace quàm bello ſe præſtare oſtenderet, duodecennalibus Induciis pactis, *Induciæ Belgicæ.* poſt horridas annorum quadraginta tempeſtates, Iani ferrea clauſit limina, & quietem publicam optatáque cum vicinis populis commercia noſtratibus reſtituit. O gloriam verè illuſtrem, & omni præconio maiorem! Eat, eat nunc, & triplici *Pompeius* curru laureáque glorietur; multò certè præſtantius fuit terna grauiſſimorum bellorum incendia exſtinxiſſe, quibus non tantùm Belgica, ſed tota penè Europa, atque ipſa etiam vtraque India conflagrabant. Iactet ſui oſtentatrix antiquitas magna illa nomina, deuictarum gentium cædibus cruentata, *Nicatoras, Poliorcetas, Dominatores, Triumphatores, Domitores:* omnibus illuſtrior, Deóque & hominibus longè gratior eſt titulus PACATORIS. *Albertus Pacator.* Et verò populi omnes dari ſibi malunt Auguſtos, Traianos, Antoninos Pios, Conſtantinos, Iuſtinianos, Ludouicos itidem Pios, aut Philippos Bo-

nos, quàm Alexandros, Hannibales, Iulios, Philippos, aut Carolos Audaces.

Porrò cùm de Induciis paciſcendis primùm Hagæ-Comitis, pòſt Antuerpiæ ageretur, non deerant Caluiniani ſpiritus homines, qui, ne pax illa coaleſceret, in vulgus, libellis etiam editis, ſpargebant, nihil certi cum Catholicis, hoc eſt, noſtris Romanè ſentientibus ſtatui poſſe, quòd Concilij Conſtantienſis decreto cautum eſſet, *Hæreticis fidem non ſeruandam.* Inter alios *Daniel Plancius*, Miniſter Amſterodamenſis, malè ſutas aliquot pagellas publicauit, quibus Inducias haſce mox concludēdas falſo iſto prætextu turbaret. Homini turbulento *Heribertus Roſvveydus*, Soc. IESV Theologus obuiàm tunc iuit, & peculiari Diſſertatione docuit, nihil tale vmquam ab vllo Concilio, nedum Conſtantienſi, decretum. Idem PRINCEPS noſter non ſcripto, ſed facto ſanctiſſimè docuit, totíque orbi teſtatum reddidit, & hæretico & hoſti fidem non eſſe violandam: adeò quidem,

vt

vt toto illo duodecennio, quod vel per ſpeciem contra pacta faceret, ne audire quidem voluerit. Sciebat nimirum, fidem inter homines maximum eſſe ſocietatis vinculum, & certiſſimum ſalutis humanæ pignus; fidem denique Principi in primis conuenientem, imò neceſſariam eſſe.

Saluius Iulianus, Mediolanenſis Iureconſultus, Ælio Hadriano imperante, ex Prætorum edictis, quæ annua eſſe ſolent, Edictum perpetuum concinnauit, quod Pandectarum Iuris archetypon fuit. Iuſtinianus Imp. Triboniano & collegis mandauit, vt Ius omne Romanum, ex veterum Prudentum libris collectum, vnum in corpus digererent. Sic tollendis, aut ſaltem minuendis & abbreuiandis litibus, ALBERTVS, inter alia, Edictum à Conſiliariis ſuis Iureconſultis digeſtum, quod & Perpetuum appellari voluit, anno M. D. C. XI. publicauit. Quo quidem Edicto ambiguas Iuris quæſtiones partim definiuit, partim Ius nouum ex vſu publico

Edictum Perpetuũ publicat.

blico

blico conſtituit. Vtque Iura municipalia & conſuetudinaria, quæ in ſingulis non modò Prouinciis Belgicis, ſed vrbibus pænè variant, nec ſatis certa habentur, ad ſupremum Senatum examinanda, ſuáque auctoritate probanda, ſinguli tranſmitterent; prudenter ſanciuit.

Conſtantinos, Theodoſios, Iuſtinianos, Heraclios, Carolos, Ludouicos, Alfonſos, alióſque Imperatores, Reges ac Principes laudat antiquitas, quòd ſacrata Diuorum oſſa piè quærenda curarint, inuenta honorificè exceperint, excepta religiosè in templis collocarint. Sic & PHILIPPI II. Regis Catholici zelum ſuſpicit ac prædicat Hiſpania, qui pari pietatis exemplo, pompâ atque apparatu incredibili, *S. Eugenij* Toletani Antiſtitis, & *S. Leocadiæ* virginis ſacroſanctas Reliquias, è Galliâ Belgióque allatas, in vrbem ac templum Toletanum ſuccollans intulit. Horum religionis ardorem æmulatus noſter, S. ALBERTI, Leodicenſis Epiſcopi, corpus ex vrbe Rhemenſi Bruxellas tranſ-

S. Alberti Leodicenſis Epiſcopi corpus tranſfert.

tranſferendum curauit. Fuit is Godefridi III. Lotharingiæ Brabantiæque Ducis, ex Margaritâ Limburgicâ, filius, pro defenſione libertatis Eccleſiaſticæ, vt anteà Thomas Cantuarienſis, apud Rhemos in Galliâ anno M. C. XCII. martyrio coronatus. Sacra eius oſſa *Melchior Demarouaius*, Epiſcopus Briocenſis, Ludouici Lotharingi, Archiepiſcopi Rhemenſis iuſſu, magnâ ſolemnitate è terrâ poſtridie Kal. Nouemb. anno M. DC. XII. eleuarat. Inde magno comitatu in Belgicam, ac demum Bruxellas tranſlatum, Diuum, ſibi cognominem ſanguinéque iunctum, in auguſtiſſimum Carmelitanarum virginum Diſcalceatarum Cœnobium ALBERTVS ſuis ipſe humeris inuexit, *Guidone Bentiuolo*, tunc Internuntio Apoſtolico, nunc S. R. E. Cardinale, *Matthiâ Houio* Machlinienſi, *Ioanne Richardoto* Cameracenſi, Archiepiſcopis, *Alfonſo Requeſenſio* Roſonenſi in Dalmatiâ Epiſcopo, Abbatibus & Aulæ Proceribus vniuerſis comitantibus. Et profectò auguſti illius

G Mona-

Monaſterij, quod Regio planè ſumptu nuper à fundamentis excitarat, ampliſſiméque dotarat, magnificentiæ ac ſplendori vnicum iſtud deerat ſacrorum lipſanorum decus atque ornamentum. Quo quidem facto Deo immortali in primis gloriæ, beato Martyri honoris, populo Belgico pietatis, baſilicæ ipſi religionis, ciuitati denique Bruxellenſi lætitiæ facta eſt acceſſio ſingularis. Argumento fuit incredibilis hominum omnis ætatis, omnis ordinis multitudo, quæ ad ſolemnis pompæ ſpectaculum, atque ad ſacras Reliquias honorandas, religionis ergô confluxit. Pietati porrò augendæ, PAVLVS V. peculiari Diplomate fortiſſimum martyrem Albertum in cælitum numeros retulit; quod, optimo Principe tradente, ex autographo ipſe meâ manu deſcripſi.

Albertus Epiſcopus Leodicenſis in Diuos refertur.

PAVLVS *Papa V. ad perpetuam rei memoriam.*

Regis æterni, qui ſeruos ſuos probatos in tentatione, immarceſcibili æternæ gloriæ coronâ donat in cælis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris,

terris, ex iniuncto nobis officij debito, procurare tenemur, vt eorumdem ſeruorum Chriſti honos & veneratio in terris quoque indies magis promoueatur, ideóque fidelium, præſertim verò Catholicorum Principum votis, quæ peculiarem erga illos cultum reſpiciunt, libenter annuimus, prout in Chriſto conſpicimus expedire. Sanè nomine dilecti filij, nobilis viri Alberti Archiducis Auſtriæ, & Belgicarum Prouinciarum Principis, nobis nuper expoſitum fuit, quòd ipſe ex ſingulari, quem erga ſanctum Chriſti martyrem Albertum, Epiſcopum Leodienſem, S. R. E. Cardinalem gerit deuotionis affectum, eius corpus ab Eccleſiâ Rhemenſi, in quâ per quadringentos annos requieuit, ad Eccleſiam Monaſterij Monialium, Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, Diſcalceatarum nuncupatarum, in opido Bruxellenſi, Mechlinienſis diœceſis, nuper à ſe ædificati & dotati, cum ſolemni proceſsione, ritè & canonicè transferri curauit, & ad augendam Chriſti fidelium erga dictum Sanctum deuotionem, in omnibus Eccleſiis tam ſæcularibus quàm regularibus dicti opidi Bruxellenſis, nec non in Eccleſiâ Rhemenſi præfatâ, Officium, & Miſſam ſolemniter de eodem Sancto

 reci-

recitari poſſe, plurimùm deſiderat. Quare nobis humiliter ſupplicari fecit, vt eius votis in primis annuere, aliáſque deſuper opportunè prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur dicti Alberti Archiducis & Principis laudabile eiuſmodi deſiderium plurimùm in Christo commendantes, ipſúmque Albertum Archiducem & Principem ſpecialibus fauoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum conſilio, quòd in poſterum perpetuis futuris temporibus, in omnibus dicti opidi Bruxellenſis ſæcularibus & regularibus Eccleſiis, nec non in Eccleſiâ Rhemenſi præfatâ, in die natali S. Alberti huiuſmodi, videlicet die XXI. Nouembris, in die verò Tranſlationis eiuſdem in Eccleſiâ ſolùm Monialiũ Carmelitarum Diſcalceatarum

tarum præfatarum dicti opidi, Miſſa & Officium de S. Alberto, ſicut de Communi vnius Martyris Pontificis celebrari ſolet, iuxta Miſſalis & Breuiarij Romani regulas & Rubricas celebrari poßit, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium, licentiam & facultatem perpetuò concedimus & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Eccleſiarum & Ordinis huiuſmodi etiam iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteríſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die IX. *Auguſti,* M. DC. XIII. *Pontificatus noſtri anno nono.*

Aquilam, Iouis armigerum, vt Poëtæ fabulantur, Imperij ſignum apud veteres fuiſſe, apud nos eſſe, nemo ignorat. Sub id tempus, quo RVDOLPHVS II. Imperator ad plures abiit, haud procul à Traiecto Moſæ, in fundo Præpoſiti Seruatiani, aquila, rara auis apud Belgas, capta eſt, Imperij per Septemuiros deferendi haud dubium præſagium. Aqui-

Aquila index Imperij.

lam pro læto augurio ad ſe miſſam, ALBERTVS in areâ Palatij Bruxellenſis, amplæ caueæ cancellis clauſam ſeruari atque enutriri mandauit. Imperium verò, eo ipſo anno, itemque octennio pòſt, cùm MATTHIAS pariter Cæſar ac frater deceſſiſſet, à *Ioanne Suichardo*, Archiepiſcopo Moguntino, aliiſque Electoribus oblatum, laudabili exemplo, reſpuit. Quo facto oſtendit, MODESTIAM & MAIESTATEM, virtutes ſpecie inter ſe diſpares, vno in homine (quod certè rarum eſt) reperiri & conuenire poſſe. Maieſtatem enim plerumque Ambitio comitatur; & pauci Maieſtatem ſaluâ Modeſtiâ aſſumpſerunt.

Imperiũ reſpuit Albertus.

Fuit autem ALBERTVS Maieſtatis ac dignitatis Principalis tuendæ in geſtu, cultu, Aulæ pompâ, miniſteriorum varietate ac copiâ, itémque ſatellitio, ſtudioſiſſimus; haud ignarus, *ceſſante admiratione opum & potentiæ, quæ plebeiis animis hoc aſpectu inſeritur, vilem & contemni facilem reddi Principatum.* Periclem Plutarchus laudat, & nar-

Maieſtatis ac dignitatis tuendæ ſtudioſiſſimus.

& narrat fuiſſe *vultu ſerio, nec ad riſum facili, inceſſu moderato, voce & ſermone ſedato.* Talis planè noſter fuit, moribus prorſus compoſitis & grauibus, vtpote quem (*præterquam quòd ſuapte naturâ multa maieſtas inerat*) *adornabat habitus corporis, non cultus munditiis, ſed virilis*; quod de P. Scipione Africano Liuius prædicat. Ad venerationem augendam faciebat ſeceſſus, & abductio; neque tamen nimia, quæ munus aut officium Principis tolleret.

IOANNE GVILIELMO, Guilielmi filio, Cliuienſi ac Iuliacenſi Duce, anno M. DC. IX. ſine liberis maſculis defuncto, multæ ac magnæ de hereditatis iure controuerſiæ ſunt exortæ, quæ vniuerſam pænè Europam in partes traxerunt. GVILIELMVS VVOLFGANGVS, Comes Palatinus Neoburgicus, matris ſuæ, *Annæ*, Guilielmi filiæ ſecundò quidem genitæ, ſed adhuc ſuperſtitis nomine, ſibi tamquam propinquiori, iuxta Leges Imperij, ditionem omnem deberi contendebat. IOANNES SIGISMVNDVS, Elector

Controuerſia Cliuienſis & Iuliacenſis.

ctor Brandeburgenſis (cuius vxor matrem habuit *Mariam Leonoram* eiuſdem Guilielmi natu maximam) iure primogenituræ hereditatem ſibi vindicabat. CHRISTIANVS II. Saxoniæ Elector, ob defectum heredis maſculi, ad ſupremum dominum, hoc eſt ad Cæſarem, feuda rediiſſe aſſerebat; & Diplomata producebat, ſibi ſuiſque maioribus per varios Imperatores, cum donatione, ſi quando proles maſcula deficeret, conceſſa. CAROLVS Dux Niuernenſis Cliuiam, Comes Mauleurius Marchiam, progenitorum ſuorum quiſque titulo repetebant.

Bello tot inter competitores exardeſcente, Ordines Prouinciarum, de quibus quæſtio, indictis Duſſeldorpij comitiis decernunt, Brandeburgico & Neoburgico Principibus adminiſtrationem iunctim dandam, donec controuerſia definiretur. Diuersâ parte RVDOLPHVS II. Cæſar, vt ſupremus dominus, iudex, ſequeſter & arbiter, per LEOPOLDVM Archi-

chiducem, egregio ſtratagemate Iuliacum opidum cum arce occupat. Saxo per Oratores à Cæſare iuris poſſeſſionem impetrat, feudúmque Ducatus Iuliacenſis; accipit & VVinendaliam in Flandriâ, aliáque bona apud Belgas ſita, actione priùs inſtitutâ, arripit. *Leopoldus Iuliacum occupat.*

Brandeburgicus & Neoburgicus, qui vniuerſas pænè ditiones communi manu occuparant, Batauicis, Gallicis, Britannicis, ac Germanicis auxiliis vndequaque aduocatis, M. DC. X. Iuliacum 1610 obſident, & pulſo milite Cæſareo tandem expugnant. Sed vt *nec regna, nec tedæ ferunt parem, omníſque poteſtas conſortis eſt impatiens*, miles Brandeburgicus, triennio pòſt, inſigni perfidiâ, Neoburgici Principis cohortem Iuliaco expulit, opidúmq; cum arce Batauis tradidit. Eodem ipſo tempore Ordines Belgici confœderati, pro Brandeburgico ſtantes, *Duſſeldorpium* ad Rhenum, vbi tunc Neoburgici coniux agebat, tentarunt, ſed fruſtrà. Cúmq; tractatu Veſalienſi (vbi de concordiâ

vtrimque agi cœptum) interrupto, alia multa more ſuo ſeditioſa molirentur, ALBERTVS, MATTHIA Cæſare petente, exercitum, paci publicæ aſſerendæ, omnium opinione celeriùs conſcripſit; & Spinulâ ſupremo belli duce conſtituto, *Aquaſ-Grani*, vrbem Imperialem à multis tetrò annis rebellem, ad obedientiam compulit.

Exinde *Veſaliam* veterem illam Caluinianorum ſentinam, & Rhenenſem Geneuam, *Duram* Caroli V. obſidione nobilem, aliáque ditionis eiuſdem opida, ad opus ius habentis, occupari iuſſit. Edixit autem poſteà, in priſtinum ſe ſtatum omnia reſtituturum, vbi Bataui, vt priores offenderant, ita priores militem ſuum ex Prouinciis iſtis controuerſis eduxerint, ſeſéque non ampliùs offenſuros nec inuaſuros ſpoponderint ac cauerint.

Biennio pòſt, Henricum Comitem Bergenſem, ducem ac militem ſtrenuum, trans Rhenum cum copiis miſit, & *Lippiam*,

piam, Suſatum, Eſſenum, Dortmundam, Hinſbergam, Gladbacum, Sittardum, Eiſliam, Suſtereum, Siburgum, aliáque opida præſidiario ſuo milite muniri mandauit.

Ad initium ſiluæ Soniæ, medio ferè inter Louanium ac Bruxellas ſpatio, FVRA ſita eſt, arx vetus, municipium amplum, & locus perquàm amœnus, venatum Ducibus Brabantiæ à multis retrò ſæculis exhibere ſolitus. Conſtat certè *S. Hubertum*, Leodicenſis vrbis Antiſtitem ac conditorem (quem vt Patronum venatores colunt) hunc locum, ſibi patrimonialem, ante clericatum, atque in ipsâ arce Furanâ anno DCC. XLVI. obiiſſe. Conſtat item, *Henricum I. Ioannem II. Antonium I. Ioannem IV. Philippum I.* & alios Principes noſtros hîc vixiſſe, aut viuere deſiiſſe. Arcem temporis bellíque iniuriâ magnâ ex parte collapſam ALBERTVS inſtaurauit, ædificiis auxit, & nouum Sacellum, eo ipſo loco quo *S. Hubertus* exſpirauit, à fundamentis exſtruxit, & tabulis excellentiſsimè pictis *Fura deſcribitur.*

 deco-

decorauit. Sacellum ipſum, in arcis areâ ſitum, & ternas in eo aras, ſe præſente, anno M. DC. XVII. à Matthiâ Houio, Machlinienſi Antiſtite, conſecrari mandauit.

Brabantiæ Ducibus Furæ ſepultis tumulum ponit.

In baſilicâ parœciali Furanâ, trium ex ordine Ducum Brabantiæ, ANTONII I. qui prœlio Azincurienſi, cadaueribus hoſtium obrutus, pulcherrimâ morte anno M. CCCC. XV. periit, eiúſque filiorum IOANNIS IV. qui Louanienſem Academiam M. CCCC. XXV. condidit, & PHILIPPI I. qui Louanij in arce M. CCCC. XXX. fatis conceſſit, communem tumulum, anteà mutum, loquentem fecit; hoc eſt, additâ eleganti & prolixâ Inſcriptione decorauit. Pari pietate, ſed maiore munificentiâ ac ſumptu memoriæ BALDRICI Comitis Bracbatenſis (hóc titulo vetuſtiores noſtros Principes olim vſos, ex diplomatibus didici) qui auguſtum SS. Michaëlis & Gudilæ templum Bruxellis in monte conſtruxit, & anno M. CCCC. VII. Collegium ibi Canonicorũ, Odâ coniuge

Itémque Bruxellis.

ge adiutante, fundauit ac dotauit; itémq; IOANNIS II. Brabantiæ Ducis honori tumulum marmoreum, in eiuſdem templi odeio, poſuit, & gentilitio Brabantiæ inſigni, Leonis, inquam, æreo ſimulacro, affabrè facto atque inaurato, illuſtrem reddidit. Vtque ſuum erga gentem Luxemburgicam, quæ tot Germaniæ Cæſares, Bohemiæque Reges dedit, affectum poſteris teſtatum faceret, IOANNI CÆCO, Bohemiæ Regi, ſepulchrum pariter marmoreum, in Munſterienſi Benedictinorum Abbatiâ, intra muros vrbis Luxemburgenſis, ſtatuit. Ex eadem porrò illuſtriſſimâ familiâ fuit *B. Petrus Luxemburgicus*, Thaumaturgus ſeu Miraculorum patrator cognomento, Auenionenſis vrbis (vbi & quieſcit apud Cæleſtinos) Patronus ac tutelaris. Hunc CLEMENS VII. anteà Cameracenſis Epiſcopus, qui ſe pro Pontifice tunc geſſit, Cardinalium ſuorum numero, CLEMENS autem VII. Medicæus faſtis Beatorum adſcripſit. *Ioanni item Bohemiæ Regi.*

Inter Belgica ſacris Cælitum pignori-

bus illuſtria opida, *Binchium*, quod eſt in Hannoniâ haud procul à Mariæ-Monte ſitum, meritiſſimo iure obtinet principatum. Eſt in eo Collegium Canonicorum, quod octo Diuorum corpora, *Vrſmari*, *Ermini*, *Theodulfi*, *Vlgiſi*, *Amoluini*, *Abelis*, *Hildulfi*, & *Amelbergæ*, totidem feretris argenteis incluſa, atque ex vicinâ Laubienſi Benedictinorum Abbatiâ, anno M. CCCC. IX. tranſlata, religioſè adſeruat. Ex his priores quinque Epiſcopi atq; Abbates Laubienſes à nouem retrò ſæculis fuerunt. *Abelem* Rhemi Archiepiſcopum laudarunt. *Hildulphus* Princeps Laubienſis, ſub Pipino ſeniore anno DC. XCVIII. floruit; *Amelberga*, S. Gudilæ Bruxellenſium Patronæ mater exſtitit. Horum lipſana, ſe præſente, ALBERTVS, à *Franciſco Vander-Burchio*, Archiepiſcopo & Duce Cameracenſi, magno Abbatum ac Procerum numero adſtante, nouas in capſulas, cærimoniâ inſigni, transferenda curauit; vt & hac in re cum Conſtantinis, Theodoſiis, Carolis, Ludouicis, Baldricis, & aliis com-

Binchienſium Diuorũ oſſa trãsfert.

componi meritò poſsit. Iulio menſe ineunte, quotannis, maximus accolarum longéque diſsitorum eò fit concurſus, & Diui Binchienſes ſolemni ſupplicatione per vrbem piè circumferuntur. Cui exornandæ, optimus Princeps varias ex auro, argento, ac ſerico vmbellas (Hiſpani vulgò Pallia nuncupant) & alium ornatum pretioſum dono dedit; ſolitus ex Mariæ-Montano ſeceſſu ibidem, tempore ſupplicationis, ſe ſiſtere.

Bohemorum rebellio, anno 1618.

Anno M. DC. XVIII. BOHEMIÆ Proceres coniurati (quorum princeps erat *Matthias* Comes Turrianus) globo armatorum facto, arcem Pragenſem, cum armamentario ac curiâ regiâ, menſe Maio occupant, inque conclaue vi irrumpentes, *Guilielmum Slauatam*, Cameræ Bohemicæ Præſidẽ, *Iaroſlaum Borzitam*, Regni Mareſcallum, & *Philippum Fabricium*, Scribam, de feneſtrâ deturbant. Barbarum facinus, & quod omnes omnino nationes, ſi Caluinianos excipias, ſunt deteſtatæ. Bohemis rebellibus poſteà acceſſere *Moraui*,

raui, Sileſij, Luſatij, Auſtriaci ſuperiores, ac demum *Hungari, Gabriele Bethlenio* Tranſsiluaniæ Principe, Turcarum cliente ac vaſallo, ad ſpem Regni euocato. MATTHIAS Cæſar, eiúſque ſucceſſor FERDINANDVS, miſsis primùm Legatis ac litteris, rebelles ad obſequium reducere ſunt conati: quod cùm fruſtrà tentaſſent, ad apertum vtrimque bellum ventum eſt, totáque pænè Europa in partes tracta. Rebelles per ſummam iniuriam, abdicato FERDINANDO (quem anno M. DC. XVII. Pragæ coronarant) *Fredericum V.* Palatinũ Rheni Comitem, ſibi Regem elegerunt. Proteſtantes Germaniæ Principes (quos inter eminebant *Chriſtianus* Princeps Anhaltinus, *Ioachimus Erneſtus* Marchio Anſbacenſis, *Mauritius* Landgrauius Haſſiæ, *Ioannes Fredericus* Dux VVirtembergæ, & *Georgius Fredericus* Marchio Ansbacenſis) inito fœdere, Palatini partibus, vnà cum Batauis & Ciuitatibus XVII. Imperialibus ſeſe adiunxerunt. IOANNES GEORGIVS Saxoniæ Elector, & MAXI-

MI-

MILIANVS Bauariæ Dux, in fide Cæſari & Imperio debitâ, magno Reipub. Chriſtianæ bono, perſtiterunt. ALBERTVS, ne periclitanti Eccleſiæ aut genti ſuæ deeſſet, primò *Carolum Longeuallium* Comitem Buquoium, fortiſſimū belli ducem, poſteà bis mille equites, & peditum ſex millia in Bohemiam miſit. His deinde & tertia noſtratium militum veteranorum legio ex Italiâ acceſſit, quæ *Guilielmo Verdugo* ductore, ſtipendia bello Allobrogico fecerat. Nec his contentus noſter, vt hoſtem multiplicem ac potentem diſtraheret, *Ambroſium Spinulam*, cum florentiſsimo exercitu in Belgicâ conſcripto, ad Palatinatum inferiorem occupandum miſit. Is *Crucenacum*, *Alſemium*, *Oppenhemium*, *Bacharacum*, *Trarbacum*, aliáque ad Rhenum ac Moſellam opida, vix vllo ſuorum damno, in poteſtatem redegit. Subſecuta deinde victoria ad Pragam verè miraculoſa, cuius gloria Albertino militi ac conſiliis magnâ ex parte debetur: de quâ fusè egi-

Albertus Buquoiū & copias in Bohemiā mittit:

Spinulam item in Palatinatum.

Victoria Pragenſis.

mus in Commentario noſtro De bello Bohemico.

Perfectæ iuſtitiæ ac pietatis opus eſt, egenorum inopiam ſubleuare, pauperes alere, iis qui auxilio egent ſuccurrere. Præcipuum id, Deóque gratiſsimum, inter Principis munera, noſter exiſtimauit. Hic nimirum diuitiarum maximus & veriſsimus fructus eſt, non vti opibus ad voluptatem, ſed ad multorum ſalutem: hoc eſt verum Chriſtianæ humanitatis officium, copiarum promptuaria benignè egentibus ac miſeris patefacere. In diuinis profectò libris pauperum cura quàm maximè commendatur. Non ignorabat hæc ALBERTVS, ideóq; non ſolùm per Eleemoſynarium ſuum maiorem quotidianâ munificentiâ, ſed per alios quoque ſecretò, ne laudem apud homines captare videretur, miſerorum inopiam ſubleuabat. CAROLI certè MAGNI exemplo, non exiguam ſumptuum partem Bruxellis & alibi ſæpè ſuppeditauit, ad peregrinos hoſpitio in *Xenodochio* excipiendos,

Albertus erga pauperes liberaliſſimus.

dos, pauperes in *Ptochotrophio* alendos, ægrotos in *Noſocomio* curandos, pupillos in *Orphanotrophio* inſtituendos, ſenes in *Gerontocomio* ſuſtentandos, expoſitos denique infantes in *Brephotrophio*, datis nutricibus, ad iuſtam ætatem educandos.

Principatus ſui initio, cùm Belgas vſuris menſariorum mirè grauatos videret; vt eos, quantum ratio temporis patiebatur, ſubleuaret, primùm ſtatuit, vt Vſurarij publici, qui duas centeſimas & beſſem, ſeu triginta annuos & ampliùs in centum anteà exegerant, deinceps centeſimam annuam & dodrantem, id eſt, vnum & viginti annuos tantùm acciperent; millium aliquot aureorum penſione iis remiſsâ, quam quotannis Principum Belgij ærario, ſiue mulctæ ſiue vectigalis nomine, ſoluere conſuerant. Suos exinde magis ſubleuare deſideranti ſuggeſtum eſt conſilium de MONTE PIETATIS inſtituendo. Cúmque gratuitum ſubſidium, ad ſortem illi inſtituto neceſſariam, non occurreret, neque ſpes afful- *Vſuras minuit.*

geret aliquid conſequendi, quod tanto operi ſufficeret, propoſitus fuit hic modus, vt neceſſaria ſorti mutuatitiæ, ædificiis comparandis, inſtruendis, ac ſartis tectis ſeruandis, & miniſtris Montis alendis, pecunia ſub annuo reditu ſumeretur, cuius interuſurium à mutuum accipientibus recuperaretur. Licitam porrò hanc rationem Archiepiſcopi duo, Machlinienſis & Cameracenſis, & Epiſcopi aliquot, qui anno M. DC. XVII. Machliniæ conuenerant, cenſuerunt. Cúmque vir induſtrius, *VVenceſlaus Cobergius*, ALBERTI Principis Architectus, formulam concepiſſet totius rei conficiendæ & exequendæ, ea à Præſulibus & Theologis quibuſdam examinata, in præcipuis articulis (reliquis peritorum mercatorum iudicio relictis) tamquam Reipublicæ vtilis, egentibus opportuna, & à pietate commendabilis, anno M. DC. XIX. eſt proba- 1619
ta, atq; ab eodem Principe, habito Conſiliariorum & aliorum doctorum virorum iudicio, admiſſa. Quare hoc ipſo anno

no *Bruxellis* in vſum deducta eſt: quod exemplum *Antuerpiæ*, *Machliniæ*, *Gandauum*, & aliæ poſteà ciuitates ſunt ſecutæ. De re totâ exſtat Diſſertatio *Leonardi Leſſij*, Soc. IESV Theologi, titulo Appendicis ad lib. 2. cap. 20. de Iuſtitiâ & Iure, typis Plantinianis edita. *Mons pietatis inſtituitur Bruxellis, & alibi.*

Inter Moſam & Sabim flumina, altero lapide à Namurco, *Silua Marlania*, admodum denſa & peramœna viſitur, in quâ anno M.DC.XIX. die XXIX. Iulij, ab ALBERTO iacta ſunt fundamenta primi trans Alpes Conuentus eremitici Carmelitarum Diſcalceatorũ, hortatu B. *Tereſiæ*, virginis Hiſpanæ, ad veterem ac primæuam diſciplinam noſtrâ ætate reuocatorum. Eſt autem locus admodum patens, inſtar opidi ampliſſimi, muris vndique cinctus, ſiluas, prata, agros, & ſtagna ſuo ambitu complectens. In medio exſtructum eſt Monaſterium, cum viginti circiter cellulis (quales ferè Monachi Carthuſiani habent) horto muróque à ſe mutuò diſtinctis. Præter has, ſunt & aliæ *Carmelitana Eremus fundatur.*

cellæ laxiores, ſeu domunculæ plùs minùs viginti, ad iactum teli ab inuicem & ab interiore Monaſterio diſtantes, in quibus ſinguli Monachi, more veterum Ægypti & Syriæ Anachoretarum, dies noctéſque Deo vacant.

Eremi porrò iſtius Marlaniensis fundum non ſolùm dedit Albertus, ſed annuos inſuper cenſus, ad Eremicolas alendos, liberaliter attribuit. Hi pro contemplatione tuendâ ſilentium religioſiſſimè colunt; & ne quis receſſum illum otioſum exiſtimet, binas minimùm horas Orationi, quæ mentalis appellatur, & contemplationi gradum ſternit, quotidie impendunt. Corporis caſtigatio, quæ pondus carnis extenuat, vt agiliùs mens ad cæleſtia feratur, prorſus auſtera eſt. Nam eſus carnis ſtrictè interdicitur, & ieiunium per maiorem anni partem protenditur. Veſtis rudis, nuditas pedum, lectulus tribus quatuórve tabulis conſtructus, duabus lodicibus & puluino laneo tantummodò ſtratus, terna per heb-

Eremitarum ſancta exercitia.

hebdomadas ſingulas verberatio, & paupertatis Apoſtolicæ cultura, corpus animo ſubiugant; & ad expetenda diuinæ conſuetudinis ſolatia, vbi temporanea deſunt, acriter incendunt. Paupertatis porrò ſtudium planè mirum eſt. Nemini quippe, præter lectulum, libros è communi Bibliothecâ de Superioris veniâ depromptos, Crucem ligneam, duas vel tres imagines papyraceas, vel pomum quidem vnum habere licet.

Annus voluebatur huius ſæculi decimus nonus, cùm MATTHIAS Cæſar die xx. Martij Viennæ, nullâ ſobole relictâ, deceſſit. Auſtriæ & Prouinciarum annexarum heredem ſcripſit vnicum fratrem ALBERTVM; quarum ipſe poſſeſsionem per LEOPOLDVM Archiducem, dato mandato, cepit. Poſteà tamen viuens ac valens (quod vix pater filio præſtet) inauditâ hactenus liberalitate, ditiones vniuerſas, per obitum fratris ad ſe deuolutas, patrueli ſuo FERDINANDO II. nunc Imperatori, ceſsit; cui ex paternâ here-

Matthiæ Imper. mors.

Albertus cedit Ferdinando ditiones Auſtriacas.

hereditate nonniſi *Stiria, Carinthia* & *Carniola* obuenerant. Ceſſit autem, pro maiore Dei gloriâ, Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ, gentíſque ſuæ Auſtriacæ bono. Tantum porrò beneficium ne poſteritas ignoraret, iuſſu Sereniſſimæ ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, vidua cùm eſſet, CVRRVS TRIVMPHANTIS LIBERALITATIS, Regio ſumptu ac magnificentiâ, eſt conſtructus, qui vexillis atque inſignibus Prouinciarum, quas noſter FERDINANDO ceſſerat, exornatus, & equis ſex per vrbem tractus, pompam illius funebrem Bruxellis, anno M.DC.XXII. menſe Martio, mirificè decorauit.

Liberalitatis triũphantis Currus.

Nihil illo æuo magnum, nihil ad Rempublicam Chriſtianam iuuandam, excogitatum vſpiam aut inſtitutum eſt, in quo partem ALBERTVS non haberet. ANTONIVS ALBERGATVS Vigiliarum Epiſcopus, & per Rheni tractum tunc Nuntius Apoſtolicus, nunc S.R.E. Cardinalis, *Itelio Frederico* Comite Zollerano, & *Franciſco Lauallino* Capucino, nobili

nobili apud Hibernos familiâ nato, adiutantibus, Coloniæ Agrippinæ SODALITATEM S. CRVCIS anno M. DC. XII. inſtituerat. Sodalitatis huiuſce finis eſt, eos qui ex hæreſeon tenebris ad lumen veræ fidei Catholicæ educti fuerint, beneficentiâ iuuare, & fauore Principum, aliorúmque virorum opibus affluentium, pro cuiuſque ſtatu, de vitæ ſubſidiis congruenter prouidere; ne quis inopiæ metu (vt fieri quotidie videmus & dolemus) à conuerſione retardetur. Sanctiſſimum hoc Collegium, quod ab vtriuſque Ordinis & Sacri & Politici hominibus regitur, PAVLVS V. Papa, anno proximè ſequenti, Diplomate edito, approbauit; vt & ſimile apud Sabaudos in *Thononenſi* opido anteà inſtitutum CLEMENS VIII. confirmarat. ALBERTVM itaque Sodales Colonienſes (vt ſingulis ferè annis mutare ſolent) Præfectum communibus ſuffragiis cùm elegiſſent, nequaquam eſt aſpernatus aut dedignatus, ſed litteris humaniſſimè ſcriptis gratias egit, atque

Archifraternitas ſanctæ Crucis, Coloniæ.

Albertus illi præficitur.

K insigni

inſigni munificentiâ, vt & annis ſuperioribus fecerat, magnam pecuniæ vim ad Conuerſos alendos tranſmiſit: vtq; Rex Catholicus ſuam pariter ſymbolam quotannis adiungeret, ſtudioſè procurauit.

Victoria Pragenſis, anno 1620

Annum huius ſæculi vigeſimum PRAGENSIS VICTORIA nobilem reddidit, quâ non modò Germania, ſed vniuerſus orbis Chriſtianus ab immani Caluinianorum tyrannide, debellato *Frederico* Exrege, cui Imperium deſtinarant, eſt liberatus. Cuius quidem victoriæ, publicæq; ſalutis aſſertæ laus, magnâ ex parte, omnium iudicio, ALBERTO debetur; vtpote cuius etiam abſentis arbitrio ac conſilio res omnes per Germaniam gerebantur. Et verò plura, pro Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ commodis, meditantem DEVS Optimus Maximus, vt præmium tot præclaris virtutibus debitum in cælis redderet, acerbiſſimis chiragræ ac podagræ doloribus, quos annis multis fortiſsimè tulerat, exhauſtum, ad ſe anno proximè ſequenti euocauit.

Alberti mors.

Sa-

Sapientiſsimum quemque æquiſsimo animo, ſtultiſsimum iniquiſsimo mori, M. Tullius, quamquam nullâ Euangelij luce illuſtratus, iam olim ſcripſit. Noſter de fatali illâ horâ imminente, per Reu^{mum} *P. Jnicum Brizuelam*, ex Dominicano Ordine Doctorem Theologum (qui à ſacris illi Confeſsionibus annos quinque & viginti fuit, & nunc Segobienſis in Hiſpaniâ Epiſcopus, rerúmque Belgicarum in aulâ Regiâ Præſes eſt) monitus, nullàm omnino perturbationis aut triſtitiæ ſignificationem dedit. Quin è contrario ſacris omnibus muniri alacer mox voluit, atque in ſummis totius corporis cruciatibus, conſuetam animi conſtantiam, æquabilitatem, magnitudinem retinuit, & ad extremum vitæ ſpiritum produxit. Itaque nec vllam querimoniæ vocem, nec vllum repugnantis aut trepidantis animi ſignum dedit: vtque in vitâ, ſic & in ipsâ morte ſibi ſemper præſens conſtitit. Adeò quidem, vt horæ quadrante, antequam exſpiraret, de grauiſsimis Rei-

Eius conſtantia in morte.

 publi-

publicæ Chriſtianæ negotiis conſultus, prudentiſsimè, ſeu nutu, ſeu voce faucibus hærente, reſponderit; illius elogij, quod *Veſpaſiano* Cæſari tribuunt, memor, *Imperatorem ſtantem mori oportere.* Anno igitur ætatis primo & ſexageſimo, placidè ac leniter, obdormientis inſtar, exſpirauit: feliciore ſanè euthanaſiâ, quàm aut Cæſar Auguſtus olim optauit, aut habuit.

Morienti adfuit *R. P. Dominicus*, Carmelita Diſcalceatus, gente Aragonius, vitæ ſanctimoniâ celebris, qui anno ſuperiore Pragenſi prœlio interfuerat, & noſtris animos ad victoriam obtinendam addiderat. Sepeliri voluit, multorum Regum Principúmque piorum exemplo, in veſte Monaſticâ Ordinis Franciſcani: quâ veſte indutum corpus, quatriduo iacuit in lecticâ inauratâ, innumerabili hominum multitudine ad ſpectaculum concurrente & ingemiſcente. Loculo plumbeo lamina ærea eſt inſerta, hac epi-
Inſcriptio loculi. graphe:

ALBER-

ALBERTI

ARCHIDVCIS AVSTRIÆ,
BVRGVNDIÆ BRABANTIÆQVE DVCIS,
BELGARVM DOMINI,
ET
IMPERATORVM
MAXIMILIANI II. ET FERDINANDI I. AVGVSTORVM
FILII, NEPOTISQVE;
ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ,
PHILIPPI II. HISP. INDIARVMQVE MONARCHÆ
FILIÆ, MARITI;
PIETATE, IVSTITIA, CLEMENTIA
MAGNI ET ÆTERNVM MEMORANDI
PRINCIPIS
EXVVIÆ MORTALITATIS,
IMMORTALITATIS GLORIAM
BEATA RESVRRECTIONIS IN SPE
HIC EXSPECTANT.
VIXERAT ANNOS LXI. MENS. VIII. DIEM I.
REXERAT RELIGIOSE PRVDENTERQVE ANNOS XXV.
OBIIT VERVM CHRISTIANI PRINCIPIS EXEMPLAR
ANNO CHRISTIANO M. DC. XXI.
III. IDVS IVLII.

Defuncti laudes mox varij cùm vinctâ tum ſolutâ oratione ſunt proſecuti; nos CENOTAPHIVM, velut vitæ compendium, ſcripſimus, quod ad huius Commentarij calcem reiecimus.

Pompa funebris.

Corpus maximâ pompâ, qualem Belgica numquam vidit, ne in funere quidem CAROLI V. Cæſaris, maiori vrbis Bruxellenſis Baſilicæ, quæ S S. Michaëli Archangelo & Gudilæ virgini ſacra, menſe Martio anni ſequentis, eſt illatum. Funeri cohoneſtando, ducti ſunt equi duo & triginta, à duobus Proceribus ſinguli; quibus totidem vexilla Belgicarum aliarúmque Prouinciarum præferebantur, iis ipſis inſignibus decorata, quibus equi ſplendebant. CVRRVM triumphantis LIBERALITATIS (de quo ſuprà dixi) ſumptuoſiſſimè inſtructum, ſex equi ſplendidè ornati trahebant; quibus totidem adoleſcentuli, habitu virginum veſtiti, inſidebant, ſua ſinguli inſignia manu geſtantes. Notabantur autem NOBILITAS, BENIGNITAS, PRVDENTIA, AMOR,

Liberalitatis currus.

RATIO,

RATIO, & PROVIDENTIA. In ſuprema currus parte ſedebat LIBERALITAS, formâ auguſtiore : in alterâ parte ſtabat ara, in quâ iacebant *Sceptra* Imperiale & Archiducale, itemque *Coronæ* variæ; iſto elogio addito : HIS SPRETIS OBIIT. Circumcircà volitabant XXVII. vexilla Regnorum ac Prouinciarum, quas ALBERTVS patrueli FERDINANDO viuens ceſſerat.

Rogum olim funebrem Romani ſtatuis, aulæis, velis, aliiſque ornamentis decorarunt. De eius formâ, ritu, ac pompâ fusè tractat Herodianus lib. IV. vbi de Seueri Imp. funere agit, & Dio in Vitâ eiuſdem Seueri, vbi de exſequiis Pertinaci Cæſari ſolutis hæc narrat:

Ita in campum Martium venimus. Hîc exſtructus erat rogus, inſtar turris, formâ triangulari, ebore & auro, ac nonnullis ſtatuis ornatus. In ſummo eius currus inauratus, quo Pertinax olim vehebatur, collocatus erat. In hunc rogum coniectis primùm iis quæ allata erant parentandi cauſſâ, lectus impoſitus eſt. Pòſt Seuerus, propinquiq;

quiq; Pertinacis ſtatuam eius oſculantur. Quo facto, Imperator tribunal conſcendit, nos Senatores, exceptis Magiſtratibus, in tabulata conſcendimus, vt tutò ſimul & commodè ſpectaremus ea quæ gererentur. Magiſtratus & Equeſtris ordo collocati ſunt ex ordine, vt cuiuſque dignitas poſtulabat. Hîc confecere milites, equites atque pedites, circum rogum curſus vrbanos & confictos: iiſque peractis curſibus, Conſules rogum incenderunt. Quod cùm eſſet factum, aquila ex rogo euolauit. Itaque Pertinax immortalitate donatus eſt.

Sanctiore ritu nos Chriſtiani defunctis Principibus, iis præſertim, qui benè de Eccleſiâ ac Republicâ ſunt meriti, tumulum ponimus, trophæis, vexillis, gentiliciis inſignibus, multis denique cereis ſplendentem; vt lumen æternum, ad quod omnes adſpiramus, eâ potiſsimùm notâ deſignemus. Itali vulgò *Caſtrum doloris*, nos *Cappellam ardentem* nuncupamus.

Carolo V. Cæſari buſtum huiuſce generis illuſtre filius Philippvs II. Rex Catholicus Bruxellis anno M.D. LVIII. ex-

exſtruendum curauit; vtque pompam illius funebrem redderet auguſtiorem, NAVIM cognomento VICTORIAM (in memoriam nauis illius, quæ eiuſdem Cæſaris auſpiciis, *Ferdinando Magellane* ductore, prima orbem terrarum circumnauigarat ac circinarat) rotis impoſitam, & ſex equis per vrbem tractam, cum *Columnis Herculeis*, aliiſque trophæis, velut in triumphum duci iuſsit.

Sic &, præter CVRRVM triumphantis LIBERALITATIS, de quo ſuprà diximus, Serma ISABELLA CLARA EVGENIA, ALBERTI vidua, tumulum ſeu Cappellam ardentem, vt vocant, multis cereorum millibus, pulcherrimis item ſtatuis, aliiſque ornamentis decoratam, Bruxellis in maiore Baſilicâ, B. Gudilæ dicatâ, magnificentiâ verè Regiâ, marito poſuit. Spectabantur inter alias Virtutes, ſtatuis ingentibus expreſſas, RELIGIO, PIETAS, FORTITVDO, CONSTANTIA, IVSTITIA, PRVDENTIA, & LIBERALITAS, cum ſuis inſignibus atq; elogiis ſingulæ.

Laudatio funebris. Laudationem funebrem dixit *R.P.Bernardus Mongaillardus*, Abbas Vallis aureæ, ex Ordine Ciſtercienſi, linguâ Gallicâ, quæ aulæ noſtræ Burgundicæ, à ducentis ampliùs annis, eſt propria. *Sepulturæ locus.* Corpus, vt teſtamenti tabulis mandarat, conditum eſt ante aram maiorem, in odeio Ven. Sacramenti Miraculoſi, cui fuerat deuotiſſimus, maiorum ſuorum exemplo.

Optimi Principis vitæ ſerie ad exitum, quàm breuiſſimè fieri potuit, deductâ, VIRTVTES, reliquámque eius indolem deinceps proſequar. Sed in tantâ rerum optimarum copiâ, admodum difficile ſit, ſtilo ſingulas complecti. Mihi ſuffecerit, aliquarum dumtaxat ſyllabum texuiſſe, & quas ille prolixè habuit, compendiosè hîc recenſuiſſe.

Alberti pietas. A Pietate, quæ ALBERTO noſtro propria ac perpetua fuit, initium ducam. Summum profectò Religionis ſtudium in ipſo fuit, ſincerus, inquam, Dei cultus, ex rerum diuinarum cognitione & amore profectus; abſque omni animi anxietate

tate & anili ſuperſtitione, quæ maieſtatem multis in Principibus polluit. Statis precibus duas ferè horas quotidie, vnam manè, cùm ſurrexiſſet, alteram veſperi, ad quietem ſe comparans, impendebat. Diebus autem ſingulis *Officium*, vt vocant, *Deiparæ* (quod illum in finem maiuſculo charactere per Plantinianos edendum curarat) itémque *Pſalmos ſeptem Pœnitentiales, cum Litaniis*, antequam ſomno ſe daret, attentè recitabat. Delectabatur verò Pſalmorum omnium Dauidicorum lectione, quos Argumentis, & Orationibus inde hauſtis, ab eximio Theologo illuſtratos, typis item Plantinianis imprimi mandarat. Sed & paullò ante mortem, *Omnium Sanctorum Litanias*, per ſingulos vniuſcuiuſque menſis dies diſtributas, iiſdem diuulgari typis præceperat; tamquam ſupremum hunc Sanctis honorem impendere in terris deſideraret, priuſquam è vitâ, eorumdem in cælis ſocietate æternùm fruiturus, diſcederet.

Statæ preces.

Nullum diem, ne in mediis quidem caſtris, abire patiebatur, quo ſummâ religione ſacroſancto Miſſæ Sacrificio non adſiſteret; quòd ſciret *in eo diſpenſari Victimam ſanctam, quâ deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo, in quo vincimus.*

Auguſt. Confeſſ. lib. 9. cap. 13.

Vt de maioribus anni celebritatibus nihil dicam, in omnibus Deiparæ & Apoſtolorum profeſtis, conſcientiæ cuſtodem animíque medicum aduocabat, & expiatis noxis, ſi quæ erant, Synaxim ſacram incredibili pietate ſumebat. In quem vſum ſecretum illi Oratorium erat, variis Diuorum pignoribus ac cineribus venerandum: quod & tabulæ à *Quintino Metſio*, aliiſque præſtantiſsimis artificibus pictæ mirum in modum exornabant.

In Venerabile Sacramentum pietas.

RVDOLPHI I. Cæſaris, qui Gentem ſceptris Regníſque fatalem propagauit, exemplo, ſi quando Sacerdotem, qui my-

ſticam

ſticam ac venerabilem Hoſtiam, extremum ægris ſolatium, deferret, obuium habuit, mox equo ſeu rhedâ deſiliit, & capite nudo, pedes, ad ipſam ægri domum deduxit, atque inde ad templum reduxit. Quibus & aliis pietatis officiis, frendente nequidquam impiâ Caluinianorum natione, cultum S. EVCHARISTIÆ apud Belgas ſuos mirificè auxit. Hinc vmbellarum, & frequentiorum publicis in ſupplicationibus tædarum apud nos vſus inualuit; hinc piè comitantium numerus longè auctior ac copioſior, quàm olim.

Venerabili Sacramento Miraculoſo, quod anno M.CCC.LXIX. à Iudæis violatum, ſanguine rubuit, quodque Bruxellis in æde ſummâ religiosè colitur, *Coronam triplicem*, adamantibus, vnionibus, gemmiſque pretioſiſſimis diſtinctam, & alia ornamenta multis aureorum millibus æſtimata, obtulit ac dicauit. Quotannis menſe Iulio, etſi bellicis etiam expeditionibus diſtrictus fortè longiùs abeſ- *Corona triplex pretioſiſſima, eidem oblata.*

 ſet,

ſet, Bruxellas excurrit, vt ſolemni Supplicationi, quâ idem Ven. Sacramentum per vrbem religioſiſsimè, incredibili hominum concurſu, defertur, manu tædam gerens, intereſſet. Et verò gratum hunc ſibi cultum, Principíſque obſequium fuiſſe, nouo Deus miraculo *Fauerniaci* in Burgundiâ anno M. DC. VIII. comprobauit: quod à *Ferdinando Ryæo*, Antiſtite Veſontino, exploratum, publicíſque tabulis firmatum alij vulgarunt: nobis ſat erit digito indicaſſe.

Fauerniaci miraculum.

In Deiparam pietas.

CAROLVS MAGNVS Imperator, apud Aquas Granias, longè celeberrimum Deiparæ templum excitauit: eidem noſter, duodecim annorum ſpatio, auguſtiſsimũ in *Colle-aſpero* ædificauit. Idem Carolus quattuor ſupra viginti Cœnobia erexit, quibus ſingulis ſingulas ex auro litteras, ad ſignandum tempus & ordinem, tradidit. Noſter, præter *Aſpricollenſe*, itemque *Bruxellenſe* Virginum, & *Marlianienſe* Monachorum Cœnobia ac templa, quæ ſuprà laudauimus, à fundamen-

Templa ædificata, aut inſtaurata.

tis

tis educta; ampliùs trecenta, à Caluinianis euerſa, partim inſtaurauit, partim ſacrâ ſupellectile, vitreis, alióque ornatu copioſo inſtruxit.

Nihil illi iucundius fuit, quàm primos in fundamentis templorum lapides collocare: quem honorem *Patribus Soc.* IESV Bruxellis & Gandaui, *Auguſtinianis* vtraq; pariter in vrbe, & Antuerpiæ; *Carmelitis* Louanij, Bruxellis, & in nemore Marlianienſi; *Franciſcanis* natione Hibernis, Louanij; *Minimis* in vrbe Bruxellenſi; *Annuntiatis* virginibus ibidem, & Antuerpiæ; *Tereſianis* Monialibus, iiſdem in locis ac Louanij; itemq; aliis alibi libens præſtitit, inſigni ſemper munere addito. *Lapides fundamentales poſiti.*

Non poſſum hoc loco omittere Verſus ſanè elegantes, quos *R. P. Nicaſius Baxius*, cùm Antuerpiæ anno M. DC. XV. primum apud Auguſtinianos ſub arâ maiore ſaxum noſter ſuâ manu poſuiſſet, velut præſagiens luſit:

Præſaga noſtrum Muſa cernens Principem
Sedaſſe belli turbines,

Suumq́ds

Suúmque pace ſibi ſequeſtrâ redditum
Impleſſe Templis Belgium:
MARTELLVS, *inquit, nominetur quiſpiam,*
BARBATVS *aliquis audiat,*
AVDAX *ſit iſte,* MAGNVS *hic cognomine,*
PVLCRI *ferantur, &* BONI;
Hic noſter olim cognitus nepotibus
Virtute, quæ primas meret,
A ſolis ortu, Atlantis vſque terminos,
Dicetur ALBERTVS PIVS.

Machliniæ, quæ vrbs eſt Archiepiſcopali cathedrâ, & ſupremi Senatus ſeu Parlamenti, vt vocant, ſede illuſtris, *Societas* IESV de Collegio condendo cogitabat. Itaque fundum, vetus, inquam, ſuorum maiorum Palatium, CAROLI V. Imp. educatione famoſum, illi attribuit. Simili liberalitate ceteros Ordines Religioſos, quotieſcumque occaſio, vt communus omnium parens, & vt *Rex Iuppiter omnibus idem*, eſt proſecutus.

Beneficia in Antuerpienſe Canonicorũ collegium.

Nec habent Clerici, vt loquuntur, ſæculares, quòd querantur. ANTVERPIENSI noſtro Canonicorum collegio, (quod GODE-

GODEFRIDVS BVLLONIVS, Lotharingiæ Dux, & S. R. Imperij ad Scaldim Marchio, pòſt Ieroſolymorum Rex, eo ipſo anno, quo Expeditionem ſacram ſuſcepit, attributis in dotem decimis, conſtituit, & PHILIPPVS II. Rex Catholicus per PAVLVM IV. Papam dignitate Epiſcopali illuſtrius reddidit) agros ac prata ampliſſima, quæ quinto à Gandauo lapide Oceanus alluit, inſigni munificentiâ contulit. BRVXELLENSE S. Gudilæ Collegium (quod *Baldricum*, Comitem Bracbatenſem, condidiſſe ſuprà diximus) centum ferè iugeribus, quæ Scaldis prope Valentianas Hannoniæ vrbem fecundat, longè auctius reddidit. *In Bruxellenſe.* LOVANIENSI S. Petri Collegio (quod *Lamberto* Comiti veteris templi ſtructuram, eiúſque filio *Baldrico* paulò antè nominato dotem debet) ſplendidiſſima ad ſacrorum vſum ornamenta, decem ampliùs florenorum millibus æſtimata, ex more quidem, ſed ſupra morem omnium retrò Brabantiæ Ducum, dono dedit. *In Louanienſe.*

M Omit-

Omitto aliam ſupellectilem ſacram auro argentóque diuitem, aliis Canonicorum Collegiis, & Monachorũ Monialiumq́; Cœnobiis longè plurimis liberaliſſimè tranſmiſſam.

Ordines noui in Belgicam adducti.

Illo Principe, Excalceati *Carmelitæ, Minimi*, & ſeuerioris diſciplinæ *Moniales Carmelitanæ*, pedem in Belgicam intulerunt, & ad extremos hominum Morinos penetrarunt. Illo Principe, *Societas* IESV, quæ vnius anteà Prouinciæ ſpatio continebatur, Collegia ſua duas in Prouincias Flandro-Belgicam & Gallo-Belgicam eſt partita: quod & *P. P. Capucini* fecere. Illo Principe, *Eremitæ Auguſtiniani* Bruxellis, Antuerpiæ, Louanij, Thenis, Diſtemij, Herentaliæ, Gandaui, Brugis, Inſulis Flandrorum, Bouinij & Huij; *Dominicani* Antuerpiæ, Liræ, Ipris, Braniæ-Comitis; *Præmonſtratenſes* Furnis in Flandria; & *Crucigeri* Venlonæ in Geldriâ ſcholas litterarias (exemplo Fratrum vitæ communis à *Gerardo Magno* inſtitutorum, itémque Societatis IESV;) *Benedictini*

Scholæ noua excitatæ.

ctini verò Duaci claſſes Philoſophicas ac Theologicas aperuerunt. Illo Principe, Ordines pleriqueReligioſi, qui vetuſtate, vt fieri ſolet, aut iniuriâ temporum collapſi, velut humi ſerpebant, caput extulerunt, lacertos mouerunt, & redditâ quodammodò iuuentute reuiruerunt. Breuiter, illo Principe, medias inter bellorum procellas, (quod omnes meritò mirantur, & poſteri vix credent) plura Monaſteria ac Templa à fundamentis excitata ſunt, aut quæ iacebant inſtaurata atque aucta, quàm à tribus retrò ſæculis; idque priſtino paſſim rigore ac diſciplinâ in vſum reuocatâ. Vt nuſpiam hodie terrarum (ignoſcite Italia & Hiſpania) aut digniores Antiſtites, aut Clerus doctior ac probior, aut Monachi vitæ morúmque integritate ſanctiores reperiri poſſe exiſtimentur. Adeò verum illud Claudiani,

——componitur orbis
Regis ad exemplar; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Ad Deiparæ Diuorúmque cultum

 redeo.

redeo. Quotannis menſe Maio aut Iunio, ALBERTVS ad *ædem Aſpricollem* ſe conferebat, & dies IX. feriales (nam feſti non veniebant in numerum) Sacris officiis impendebat, nec vmquam, niſi relicto inſigni munere recedebat. Quotannis item *Hallas* ſemel atque iterùm ibat: vbi & lampas argentea viſitur, pondere atque opere inſignis, quam pro dono ſuſpendit, addito vectigali annuo, vt in æuum ante effigiem Virginis luceat.

Alberti pietas in Diuos.

Eius porrò ſingularem erga ſacra Diuorum pignora venerationem prædicare atque explicare, longum foret. Inter cetera, magno in pretio habuit *Crucis Dominicæ* fruſta, è Britannis ac Batauis recuperata; *S. Sebaſtiani* martyris manum, à *Lothario* Treuerorum Archiepiſcopo & Electore dono datam, quam adamantibus, gemmis aureáque thecâ decorauit; S. *Simeonis* ſenis ac Prophetæ brachium, magnâ pro parte ex *Lisbornenſi*, in diœceſi Padebornenſi, Benedictinorum Abbatiâ tranſmiſſum: & alia plurima Cælitum

tum lipſana, quæ prolixum eſſet commemorare.

PONTIFICI ROMANO, eiúſque NVNTIO in Belgicâ agenti, itémque EPISCOPIS, vt Sacrorum antiſtitibus & adminiſtris, deferebat plurimum: quòd probè ſciret, eâ ratione non minui, ſed augeri ac firmari Principale culmen. Ideóque veteres illas, inter Sacerdotium & Regnum, de Iuriſdictione concertationes, quæ Europam non ſemel turbarunt, vehementer oderat: Philippum Auguſtum Galliæ Regem in eo æmulatus, qui de nimiâ, vt aulici volebant, in Sacerdotes propenſione ac facilitate monitus, reſpondit: *Credo equidem quod dicis: ſed quando cogito beneficia, quæ Deus mihi contulit, cui ipſi deſeruiunt, & ad quem preces pro me Regnóque meo quotidie fundunt, malo id pati pro Deo, quàm inter me & Eccleſiam ſcandalum ſuſcitare, & eos, quorum orationes ſcio mihi profuiſſe, contra me prouocare.* Hæc totidem verbis *S. Ludouicum Regem*, Philippi Auguſti ex filio nepotem, de auo ſuo narrare ſoli-

Reuerentia erga Pontificem Rom.

 tum,

tum, Ioannes Pariſius in Chronico ſuo tradit.

Sapientia. Hactenus de Pietate: ſecundas habeat SAPIENTIA. Quæ quidem M. Tullio Ciceroni eſt, rerum diuinarum atque humanarum ſcientia, & quæ cuiuſque rei cauſſa ſit, cognitio; ex quo efficitur, vt diuina Sapiens imitetur, humana omnia virtute inferiora ducat. Sapientia ſola eſt, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vindicet, atque ipſius fortunæ iniuriam modeſtè ferre doceat, omnéſque monſtret vias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferunt. Sapientis animus magnitudine conſilij, tolerantiâ rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus vt mœnibus ſeptus, vinci aut expugnari non poteſt. ALBERTVS certè, quod omnes norunt, *Conſtantia.* eâ ſemper moderatione ac conſtantiâ fuit, ſempérque animo ſic excubauit, vt ei nihil inprouiſum, nihil inopinatum, nihil omnino nouum vmquam accidiſſe videatur. Adeò quidem, vt ſiue læta ſiue

ſiue triſtia nuntiarentur, nihil prorſus moueretur, eadémque ſemper illi virtus conſtaret, & quemcumque caſum Deus aut fortuna inuexiſſet, hunc aptè & quietè ferret. Locuples mihi teſtis ſit illa ad Neoportum, Flandriæ opidum maritimum, præcipiti quorumdam conſilio, clades accepta; quâ nihil motus, mox in Deo atque in ſeipſo omnem ſpem repoſuit ſui, reſumptoque animo Batauos, victoriâ elatos, exercitum Flandriâ reducere coëgit.

Itaque vt adamas, nobiliſſima inter gemmas, vim infractam, ſic noſter robur animi infractum habuit, qui nec lætâ fortunâ attolleretur, nec alterâ deprimeretur. Quo factum, vt ſeu proſperæ ſeu aduerſæ res fluerent, nulla vmquam in vultu eius conſiliorum aut affectuum veſtigia deprehenderentur.

Poſt Probitatem ac Virtutem, cuius caput eſt Religio ſeu Pietas, PRVDENTIAM in primis neceſſariam eſſe Principi, veteres Philoſophi docuerunt. Hæc non *Prudentia.*

eſt

eſt aliud, quàm rerum euentuúmque notitia, recto cum iudicio coniuncta, quam Natura, Vſus, ac Doctrina parere ſolent. Tria iſta in Principe noſtro quàm maximè viguerunt, & terrarum Imperio dignum, vel Septemuirorum iudicio, fecerunt. A puero humanioribus artibus imbutus, mox in Ethicis & Politicis, aliiſq; Philoſophiæ ſtudiis, quæ Principem formarent, præceptorem habuit, vt dixi, magnum illum BVSBEQVIVM felix quidem tanto doctore ac directore, ſed ingenio ac conſtantiâ felicior. Neque enim, vt plerique, leuiter iis diſciplinis animum imbuit, neque ſtatim, vt ad grandiorem ætatem venit, eas faſtidiuit; ſed & doctos prudentéſque viros in familiâ ſuâ perpetuò habuit atque audiuit, & ipſe, cùm per grauiſſima negotia licuit, aſsiduè legit; idq́ue Hiſtoricos & Politicos Scriptores maximè, quibus ad extremam vſq; ætatem mirificè eſt delectatus. Quapropter ſingulis Nundinis Frãcofurtenſibus, vernalibus & autumnalibus, Indicem

cem librorum recèns editorum ſibi tranſmitti iuſſit; minio ad marginem notare ſolitus, quos emi ſuum in vſum volebat. Habuit item perpetuò ante oculos, in menſâ Muſei ſui, Catalogum codicum præſertim manuſcriptorum, qui iam inde à temporibus *Philippi Boni* & *Maximiliani I.* Auſtriaci, in Bibliothecâ Palatinâ Bruxellis adſeruantur.

Ex ingenuis artibus maximè *Mathematicas*, atque in iis *Geometriam* coluit, cuius vſus latiſſimè patet, & Principi in primis conuenit. Nam dimetiendis agris, condendis ex diſciplinâ arcibus, collocandis ædibus, muniendis ritè caſtris, fluminibus ſternendis, *Geometria* ſeruit; in Picturâ item, Statuariâ, Aurificinâ, & in reliquo omni artificio, vitæque elegantiâ, dominatur. Atque hæc quidem omnia artificibus noſter relinquebat; ſed eorum induſtriâ ſi quando vtendum erat, de ſingulis optimè diiudicabat: vt ex *VVenceſlao Cobergio*, Architecto, & *Michaële Coigneto*, celebri Mathematico, *Mathematices ſtudioſus Albertus.*

quem Antuerpiâ ſæpè ad ſe euocare ſolebat, non ſemel audire me memini. His enim elegantiis, ſumpto prandio, libenter vacabat; ne tempus Reipublicæ debitum inutiliter conſumere videretur: adeóque otij & negotij diſcreta habebat tempora.

Picturæ & Pictorum amans.

Inter Pictores porrò viuentes hodie, præter *Cobergium*, æſtimauit caróſque habuit *Othonem Vænium*, *Petrum Paulum Rubenium*, & *Ioannem Breugelium*; quos horis, vt dixi, à Reipublicæ vacatione liberis non raro euocabat, & ad honeſtam oblectationem libenter, ſed ſecretò, audiebat. Horum item tabulis atque artificio mirificè delectabatur: ſic tamen vt & *Ioanni Malbodio*, (cuius opus eximium, grandi ære à Gerardimontano Abbate redemptum, in ſacello palatij Bruxellenſis collocauit) *Rogerio Pratano*, *Quintino Metſio*, *Hieronymo Boſchio*, *Alberto Durero*, *Lucæ Leidano*, *Ioanni Holbænio*, *Franciſco Floro*, aliiſque vetuſtioribus plurimum tribueret. Teſtes ingenti numero

ro tabulæ, quæ ampliùs ducentæ in ſolâ arce *Furanâ* numerantur: vt de Palatio *Bruxellenſi* & *Mariamontano* nihil dicam. Tria enim hæc loca, vt potiſſimùm incoluit, ſic & ædificiis atque omni ornatu maximè inſtruxit.

Ad PRVDENTIAM redeat oratio: quam (vt mutos nunc magiſtros, libros dico, ſeponamus) ALBERTVS ab auunculo ſuo PHILIPPO II. Rege Catholico, verè Prudente, velut cum lacte hauſit. Vt quiſque perſpicit maximè, quid in re quaque veriſſimum ſit, quíque acutiſſimè & celerrimè poteſt videre, & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſsimus ritè haberi ſolet. Id noſter in primis præſtitit, qui in tantâ rerum varietate, támque incertis hominum ſtudiis ac voluntatibus, maximè cauit, ne inſidiis ſuorum, ad ſua commoda pleraque rapientium, caperetur. In aulis Regum ac Principum multi ad gratiam loqui ſolent, & vituperare quos odio habent; nihílque eſt in rebus humanis

Prudentia à Philippo II. Rege hauſta.

quod periculo vacet. Quapropter ne fallacibus quorumdam conſiliis deceptus in præceps ferretur, res ſingulas ad ſua tribunalia diſquirendas ac diiudicandas dimiſit; auditiſque Senatorum ſententiis, quod in rem ſeu publicam ſeu priuatam eſſet, magno ipſe iudicio ſtatuit.

Tribunalium æſtimatio.

Cauit autem quàm maximè, ne quis tantum ſibi arrogaret, vt aliquam Reipublicæ partem, nedum vniuerſa de Republicâ conſilia, ad ſuum arbitrium reuocaret. *Indicium non magni Principis eſt*, ait ille, neſcio quis, *magnos & in regimine potentes habere Aulicos.* Suum olim *Aluarum Lunam*, & nuper *Calderonium* habuit Hiſpania, *Concinium* Gallia, *Eſſexium* Britannia, *Cleſelium* Germania: SEIANOS alios, velut Aulæ ac fortunæ ludibria, in orbis theatro ſpectanda, Prouinciæ aliæ propoſuerunt. Hæc talia nos Belgæ auditu quidem aliunde accepimus, ſed domi non ſpectauimus aut ſenſimus; ALBERTO rerum, vt Principem decebat, ex toto potiente.

Seiani varij alibi.

Nullus apud Belgas.

In

In vicinis Regnis, ſcimus & homines nullâ virtute inſignes, repentè quaſi è tenebris in lucem productos, & ab obſequiis domeſticis Aulæque ſordibus ad ſummos honores tranſlatos fuiſſe, non ſine inuidiâ prouincialium, magnóque animorum motu. In aulâ ALBERTINA, virtuti quidem militari ac togatæ, itémq; eruditioni eximiæ nihil denegabatur: ſed vt in equis ac canibus propriam cuiuſque indolem potiùs quàm ſtirpem conſideramus; ſic, gradibus quibuſdam, præmia meritis atque induſtriæ prudentiſsimus Princeps exæquabat.

Nemo pius eſt, qui non ſit & liberalis in egentes; cùm Sacræ litteræ doceant, humanis opibus cæleſtes theſauros comparandos, eiſdémque in miſeros effuſis, noxas expiandas. Copiosè id noſter præſtitit in omnes benignus, non ſubditos tantùm, ſed orbe remotos *Britannos*, *Hibernos*, *Germanos*, *Gallos*, ceteros. Hinc illa *Louanÿ*, *Duaci*, *Audomaropoli*, & alibi Anglorum, Scotorum, & Hibernorum Se- *Liberalitas in pauperes.*

minaria; quos omnes, vt pro Religione exulantes, beneficentiâ ſuâ iuuit ac fouit. De liberalitate Eccleſiis præſtitâ non repeto: vnum tamen exemplum, quod ſit inſtar omnium, ſubiungam, quódque Iulius Cæſar Bulengerus, homo Gallus, in libris hiſtoriarum noſtri temporis non tacuit. Anno itaque M. DC. IX. vt ſuum noſter in *Virginem Lauretanam* affectum teſtaretur, Lauretum, vnà cum coniuge ſuâ Ser^mâ ISABELLA CLARA EVGENIA, dono miſit Veſtem ſeu Chlamydem inauratam, cui vnum & viginti margaritarum millia, præter bis mille, centum quinquaginta octo adamantes, mille centum ampliùs gemmas maiores erant intexta. Quam Chlamydem aurifabri Itali ad quattuor & triginta aureorum millia (nam taxari eam PAVLVS V. Papa mandarat) cum admiratione tantæ liberalitatis & pietatis, æſtimarunt. Id ex libris rationum, & ore viri honeſtiſsimi, *Joannis Siluæ*, qui Lauretum, à Principibus miſſus, donum tulit, fideliter accepi.

Lauretanum donum, anno 1609.

Quod

Quod in ædificiis lignorum ac lapidum compages & ordo valet, quod in exercitu diſciplina militaris; id ipſum in Republicâ eſt ÆQVITAS, legibus ſancita, iudiciis munita, præmio ac ſupplicio vallata. Alioqui ſi de medio Iuſtitiam aufers, quis probitati locus erit, quis honeſtati? quid non audebunt improbi & ſcelerati? Quapropter innocentiæ tuendæ, caſtigandæque prauitatis ſtudium Principi noſtro fuit ſemper commendatum maximè; cuius rei multa exſtant exempla, quæ odioſum ſit commemorare. Hoc publicè conſtat, cædium ac libidinum vindicem acerrimum exſtitiſſe; ſic tamen, vt iracundiæ locum daret numquam. A teneris nimirum aſſuefactus atque edoctus cupiditates commotas voluntatémque frangere, haud facilè, imò numquam irritabatur. Vehementior certè animi concitatio, omníſque iracundia contraria eſt Imperio ac dignitati. Manſuetudini adiunxerat CLEMENTIAM; quâ virtute nihil eſt excellentius, nihil

Iuſtitia.

Manſuetudo.

Clementia.

nihil quod magnos Principes Deo magis ſimiles faciat.

Fides. Cum Iuſtitiâ FIDES coniuncta eſt; neque probus aut iuſtus Princeps eſſe poteſt, qui fidem violare non dubitat. ALBERTVS fidem datam quàm maximè coluit, nec vmquam vel hoſtem fefellit, ne commodo quidem grandi propoſito. Dicere ſolitum accepimus, *Omnia ſe potiùs, quàm Fidem amiſſurum:* eſtque magnum mihi in mente exemplum ac teſtimonium, quod nunc premo, alibi fortaſſe dicturus.

Sciebat autem haudquaquam ſatis eſſe, Principem omnes habere virtutes, Pietatem, Prudentiam, Conſtantiam, Pudicitiam, Continentiam, ceteras; ſed eſſe circumſpiciendum, vt ſi bonos ciues eſſe velit, ſanctos Eccleſiæ Antiſtites, & probos Reipublicæ miniſtros præſtet.

Summi Pontifices, Chriſti in terris Vicarij, qui moderandis & diſpenſandis Eccleſiæ theſauris ſunt præpoſiti, ſolent, in poteſtatis ſuæ partem, Reges ac Pricipes benè

benè de Eccleſiâ meritos, aliáve de cauſſâ, adoptare. Sic LEO X. anno M. D. XVII. FRANCISCO I. in Galliâ, & HADRIANVS VI. CAROLO V. Cæſari in Hiſpaniâ anno M. D. XXIII. poteſtatem fecit legendi Epiſcopos ac præſentandi. Simili beneficio à CLEMENTE VIII. anno M. DC. donatus ALBERTVS, nihil antiquius habuit, quàm vt Cathedralibus Eccleſiis optimos Antiſtites, & Monaſteriis probiſſimos Abbates præficeret; ratus, quod res eſt, eâ neglectâ, Religionis ſanctitatem, morum integritatem, publicámque ſalutem conſtare non poſſe. Præfecit itaque viros probitate, doctrinâ ac prudentiâ claros, ætate graues, quíque, à multis retrò annis, functionibus Eccleſiaſticis fuiſſent addicti; Deum in conſilium vocare ſolitus, expiatâ primùm conſcientiâ, & ſacrâ Synaxi ſumptâ, ſi quando electio eſſet facienda.

Epiſcopi & Abbates integerrimi electi.

Parem in Iudicibus conſtituendis, Senatoribus creandis, & Magiſtratibus nominandis diligentiam adhibuit. Magi-

Magiſtratus gratis mandati. ſtratus porrò nullos venales eſſe voluit; *Alexandri Seueri* Imp. exemplo, qui dictitare ſolebat, *fieri non poſſe, quin vendat qui emerit; nec poſſe à Principe in eum animaduerti, qui vendat quod emerit.*

Familia ſancta. Ad Aulæ miniſteria ex omni Nobilitate deligebat eos, quos vitæ innocentia, prudentia, modeſtia, aliæque virtutes commendabant: peruerſo homines ingenio, iuuenes item luxu aut libidine perditos à familiâ ſuâ prorſus arcebat. Quapropter cuiuſque indolem, vitam ac mores ſecretò excutiendos, per homines idoneos ac fidos, curabat, priuſquam ad obſequia domeſtica admitteretur. Si quis opinionem de ſe conceptam fefelliſſet, aut mores mutaſſet, is mox dimittebatur; ne ſuâ prauitate, quaſi peſte, Aulam alioqui ſanctam inficeret. *Aula ſancta.* Sanctam voco, nec blandior aut adulor; vtpote quæ Monaſterij potiùs religioſiſſimi atque ab omni contagione liberi ſpeciem referret, quàm Aulæ Principalis: quales ſcilicet eæ plerumque eſſe ſolent.

Mace-

Macedonum in Græciâ & Gothorum in Hiſpaniâ Regibus olim in more poſitum fuit, vt Principum liberi in Aulâ regiâ educarentur. Filij quidem ad priuata obſequia adhibebantur, inter epulas miniſtrabant, venantem Regem, quibus per ætatem licebat, comitabantur, & ad bellum armati proſequebantur. Hoc velut ſeminarium Ducum ac Præfectorum apud vtramque gentem fuit. Filiæ autem in gynæceo Reginæ miniſtrabant; vbi Mineruæ artes, & alia, quæ nobiles decerent virgines, edocebantur: moris omnis gnaræ, ac nubiles viris illuſtrioribus tradebantur. His moribus Macedones in Indiam vſque penetrarunt, & Gothi latiſsimè imperium propagarunt, Romaníſque rerum dominis Hiſpaniam eripuerunt. Laudatiſsimum iſtud inſtitutum ſecutus ALBERTVS, præter pueros honorarios, habuit in Aulâ ſuâ, & magno quidem numero, primariorum Procerum vtriuſque ſexus liberos, quos *Meninos* & *Meninas* Hiſpanâ voce nuncupant. Quâ ratione No-

Procerum liberi in Aulâ ad omnem virtutem educati.

Nobilitatem Belgicam, & pietate optimíſque moribus præſtantiorem, & Principi ſuo, cuius virtutes à tenerâ ætate imbiberant, longè addictiorem reddidit. Hoc certè conſtat, numquam plures noſtrates, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum genere natos, adoleſcentes & virgines, quàm ALBERTO regnante, ad ſeuerioris etiam diſciplinæ Monaſteria, velut ad ſalutis portum, ſe contuliſſe.

Sed ſtilum ſiſto, memor non vniuerſam ALBERTI hiſtoriam, ſed Commentarium tantummodò ſcribendum me ſuſcepiſſe. Erunt alij, qui maiore otio & fecundiore oratione res illius præclarè geſtas explicabunt: eas velut exiguâ in tabellâ adumbraſſe, ſeu digito indicaſſe, haud leue operæpretium putaui. Qualiscumq; tamen *hic labor*, *honori* Principis ac Domini mei *deſtinatus profeſſione pietatis*, apud æquum Lectorem, vt ſpero, *aut laudatus erit*, *aut excuſatus*. Publicè enim intereſt, vt tantarum virtutum fama *maneat in animis hominum*, *atque æternitate temporum*.

Tac. in Vitâ Agricolæ.

FINIS.

CENSVRA.

AFFECTVS *pius* R^{di} *admodum D. Auberti Miræi S. T. L. Protonotarij Apoſtolici, Canonici Antuerp. erga* PRINCIPEM *tam Pium, cui à Sacris Oratorij fuit, debet publicari. Quis enim celauerit ignem? Vita ipſius viuat.*

Sic iudico CORNELIVS DE WITTE
S. T. L. Archidiaconus Antuerp.

Cum Priuilegio PHILIPPI IV. *Hiſpaniarum Regis Catholici, & Principis Belgarum, ad quadriennium.*


Signat.

Le Comte.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXII.


LABORE ET CONSTANTIA.

SERENISSIMI
ALBERTI
AVSTRIACI
BELGARVM PRINCIPIS
CENOTAPHIVM.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA.
M. DC. XXI.

SERENISSIMO PRINCIPI

ALBERTO

PIO, SAPIENTI, PRVDENTI

AVSTRIÆ ARCHIDVCI;

BVRGVNDIÆ, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆ

LIMBVRGI, LVCEBVRGI, GELDRIÆ

DVCI;

FLANDRIÆ, ARTESIÆ, BVRGVNDIÆ

HANNONIÆ, HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ,

NAMVRCI, ZVTFANIÆ

COMITI;

SACRI ROMANI IMPERII

MARCHIONI;

FRISIÆ, MACHLINIÆ, VLTRAIECTI

TRANSISALANÆ, GRONINGÆ, SALINARVM

ET ALIARVM DITIONVM

DOMINO;

NEAPOLI IN AVSTRIA M.D.LIX. IDIB. NOVEMB.

PATRE MAXIMILIANO II. CÆSARE

FELICITER NATO,

MADRITI CARPETANORVM, A TENERIS,

IN AVLA ET OCVLIS AVVNCVLI

PHILIPPI II. REGIS CATHOLICI

SANCTE EDVCATO:

QVI PRIMVS LVSITANIÆ PROREX

AB EODEM CONSTITVTVS

REGNVM RECENS PARTVM AC FLVCTVANS

SVA PRVDENTIA FIRMAVIT;

OLISIPONEM REGNI METROPOLIM

ADVERSVS ANTONIVM NOTHVM

ET FRANCISC. DRACVM CLASSIS ANGLICÆ DVCTOREM

TERRA MARIQ. IRRVENTES

FORTITER DEFENDIT;

ERNESTO FRATRE E VIVIS SVBLATO

BELGICÆ AC BVRGVNDIÆ

PRIMVM GVBERNATOR, POST PRINCEPS

BONO PVBLICO DATVS,

CALETVM, ARDERAM, AMBIANVM

GALLIS ERIPVIT;

HVLSTVM, OSTENDAM, VVACHTENDVNCAM
RHENIBERCAM, GROLLAM, OLDESALIAM, LINGAM
BATAVIS ADEMIT:
PACE CVM HENRICO IV. GALLIÆ
ET IACOBO MAIORIS BRITANNIÆ
REGIBVS INITA,
ET DVODECENNALIBVS INDVCIIS
APVD BELGAS XL. ANNORVM BELLO
FRACTOS FESSOSQ. PACTIS,
IANI PORTAS CLAVSIT
PACIS QVAM ARMORVM STVDIOSIOR:
REBVS IN GERMANIA DEINDE TVRBATIS
FRATRI MATTHIÆ CÆSARI
VALIDIS CVM EXERCITIBVS
SVPPETIAS TVLIT;
EIVSQVE NOMINE AQVASGRANI, VESALIAM
DVRAM, SVSATVM, LIPPIAM, CRVCENACVM
OPPENHEIMIVM, TRARBACVM
ALIAQ. AD RHENVM AC MOSELLAM OPIDA
SVBEGIT;
PERDVELLES VNIONIS PSEVDO-EVANGELICÆ PRINCIPES
FREGIT, ET AD OBSEQVIVM COMPVLIT;

PVBLICAM ECCLESIÆ, IMPERII, SVÆQ. GENTIS
SALVTEM STABILIVIT:
QVOD SERA POSTERITAS VIX CREDET,
IMPERII ROMANI CORONAM
A VII. VIRIS BIS DELATAM
RESPVIT;
REGNA HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ
CROATIÆ, SCLAVONIÆ, BOSNIÆ
SERVIÆ, HALITIÆ, VLODOMIRIÆ
CVMANIÆ ET BVLGARIÆ
ARCHIDVCATVM AVSTRIÆ, DVCATVM SILESIÆ
MARCHIONATVS MORAVIÆ, LVSATIÆ ET BVRGAVIÆ
COMITATVS HABSBVRGI, TIROLIS, FERRETÆ ET KIBVRGI
PRINCIPATVM SVEVIÆ
LANDTGRAVIATVM ALSATIÆ
MARCHIAM TERGESTINAM, PORTVM NAONIS
ET ALIA DOMINIA
HEREDITARIO IVRE AD SE DEVOLVTA
FERDINANDO II. IMP.
PATRVELI SVO
RARO ET INAVDITO HACTENVS EXEMPLO
DONATIONE INTER VIVOS CESSIT
AC CONSIGNAVIT:

ACERBISSIMIS CHIRAGRÆ AC PODAGRÆ DOLORIBVS,
QVOS FORTISSIME, NVMQVAM QVERVLVS, TVLIT,
DEMVM EXHAVSTVS,
BRVXELLÆ PRID. IDVS IVLIAS ANNI M.DC.XXI.
PIISSIME ET ANIMO QVAM MAXIME TRANQVILLO
OBDORMIVIT.

PROVINCIÆ BELGICÆ,

OB RELIGIONEM, PIETATEM, PVDICITIAM
FORTITVDINEM, CONSTANTIAM
IVSTITIAM, PRVDENTIAM
ALIASQ. VIRTVTES VERE REGIAS,
QVIBVS TOTO VITÆ DECVRSV CLARISSIMVS,
HOSTIBVS ETIAM GRATVS EXSTITIT,
IN PIENTISSIMVM PATRIÆ PARENTEM
AFFECTVS TESTANDI CAVSSA

P. P.